





1718.

- 10^a ¹⁷ Boetnerus, Jostes Henningius: De probatis reputationum
causis 2 Sept. 1718 & 1736.
- 11^a ¹⁷ Boetnerus, Jostes Henningius: De efficaci mulierum
intercessionem. 2 Sept.
- 11^c Boetnerus, Jostes Henningius: De efficaci mulierum
intercessionem 1756.
- 12^c Boetnerus, Jostes Henningius: Efficaciam pactorum
iustitiam contra tertium. . . ~~examinat.~~
examinat.
- 12^b ^c Schell, Wilhelmus Gottfriedus, L. B. de: De efficacia
pactorum iustitiam contra tertium 2 Sept. 1718 & 1757.
- 13^a ¹⁷ ^b ^c Danckelmann et Prauzin, Carolus Ludolphus, L. B. de: De pactis
et mandatis principis captivi. - 3 Sept. 1718 & 1741.
- 14^a ¹⁷ ^b ^c Glafey, Adamus Tridorianus: De jure praecedentiae
femininum ad l. 8 ff. de Senatoribus. 2 Sept. 1718 &
1740
15. Totche, Andreas: De eo, quod iustum est circa reputationem
nam in abstinencia ob legem consanguinitatis vel affinitatis
jura divina prohibita.

ter 2
v 2
y.



DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA
PRINCIPVM
PROTESTANTIIVM
SOLENNIA MATRIMO-
NIIVM ECCLIASIACA.

IN ACADEMIA FERDINANDIANA
MAGISTRIVM CONSVMATORIVM ORDINIS
HENRICH HENNING, BOHMER, ICTO
CASA PALATII CASAE POTENTISS. REGI PORVSSIAE
MAGISTRIVM PROPRIVM ORDINIS

DANIEL HARTZMANN,



[Faint, illegible handwriting on aged paper]



DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

1718 100
11
4

PROBATIS REPVDIORVM CAVSIS

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
INDVLTV
INCLYTI IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

PRAESIDE
DOMINO

IVSTO HENNINGIO BÖHNERO,
ICTO.

COM. PALAT. CAES. POTENTISS. REGI BORVSS. A CON-
SIL. AVL. PROFESS. IVRIS ORDIN. ET p. t.
DECANO,

PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC
PRIVILEGIA CAPESSENDI

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS LOCOQVE CONSVETIS
DIE III. OCT. ANNO MDCCXVIII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

IACOBVS HENRICVS PISTORIVS,
STVTGARDIA-WVRTEMBERG.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Litteris IOHANNIS GRVNERI, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN AUCTORITATE IURIDICA

PROBATIO
REPVDIORVM
CAVSIS

QVAE

IN REGIA FRIDERICIANA

INDVLTVA

AVCTVITATE IVRISCONSVLTORVM CADVIVS

FRVSTRATA

D. O. M. I. N. O.

VSTO HENNINGIO BÖHMERO

AVCTVITATE IVRISCONSVLTORVM CADVIVS
SIE AVT PROFESSVRI IVRIS ORDINIS
DECANO

PRO LICENTIA

AVCTVITATE IVRISCONSVLTORVM CADVIVS
PRIVILEGIO CAESARIS

IN AVDTORIO MAIORI

DIE M. CC. LXXX. MDCC. LXXXIII.

PUBLICO EXAMINATORVM EXAMINI SVBMITTE

ACORBE HERSCHE PISTORIAS
STATVTDIA-WÜRTEMBERG.

AVCTVITATE IVRISCONSVLTORVM CADVIVS
FRVSTRATA





DISSERTATIO INAUGURALIS
IVRIDICA
DE
PROBATIONE REPVII
CAVSIS.

CAP. I.
De fatiſ repudii.

§. I.



Vi rerum moralium indolem Introitus et occasio huius dissertationis. haud accurate perſcrutantur, aequè falluntur ac hi ipſi, qui rerum naturalium veras cauſas, effectus, aliſque affectiones non ſatis examinant, nec differentias earum ſpecificas accurate euoluunt. Non heri aut nudius tertius id eruditi in matrimonialibus obſeruarunt: iam dudum eſt, ex quo conqueſti ſunt ſolidioris ingenii Icti, in hac doctrina diuerſa prorsus negotia confundi; ſponſalia et matrimonia, diuerſiſſima illa negotia, non ſatis ſolide diſtingui, ſed eidem vinculo & nexui ita ſubiici, vt aequè ſponſalia *indiffolubilia* eſſe

A



esse credantur, ac ipsum matrimonium. Peperit haec sententia infaustas plane conclusiones, imo in ipso humano genere tristem calamitatum segetem; quia ex hac confusione factum est, vt reluctantes, re licet integra, ad consummandum matrimonium *oborto collo* tracti, & ad infelicissimam vitae consuetudinem, quae inde sequi debuit, deducti ac denique in discordias mutuas, bella domestica, adulteria aliaque infortunia coniecti fuerint miseri. Interest ergo *generis humani*, ne doctrina salutis humanae tam aduersa triumphum agat; interest *iurisprudentiae*, vt, quorum diuersus effectus, indoles & ratio est, accurate distinguantur, id quod in doctrina de *repudio* eo magis faciendum, quo facilius alias in deuia prolabi possumus. Cum itaque *probatas repudiorum causas* examinare, & quid in *discutiendis sponsalibus*, vt dicitur in *l. 2. §. 2. D. de diuort.* iuris sit, tradere constituerim, id potissimum agam, in id enitar, vt, apertis & manifestatis communium errorum fontibus, tum *ex recta ratione*, tum etiam *ex iurium verorum principis* demonstrarem, quid in illis causis vulgo tradi solitis iustum sit. Id autem, vt felicius fieri possit, *hoc capite* paucis *historiam huius doctrinae* tradam, & subinde limites mihi ipsi circumponam, intra quos *capite sequenti* tota haec doctrina coangustanda sit, quo ipso simul impedimenta, quae iniici solent, e medio tollentur.

Diuortii &
repudii di-
uersus con-
ceptus.

apud Roma-
nos.

§. II. *Sponsalia & matrimonium* esse quidem *connexa* sed diuersissima tamen negotia, distingui *definitione, sine, effectibus*, aliisque *qualitatibus* tam iure *ciuili* quam *canonico*, & hodierno, vberiori demonstratione non indiget, sed fusissime explicatum est in nuperrima excell. Dn. PRAESIDIIS *diff. de diuerso matrim. & spons. iure*. Agnouisse id discrimen Romanos, per plures differentias ibidem *cap. I.* demonstratum est, simul tamen ostensum, inter nexum *sponsaliorum & matrimonii* tale haud intercessisse discrimen, quod hodierno iure in illo constituitur. Frequentia apud Romanos erant *diuortia*, sed etiam magna *repudiorum* licentia. Distinguebantur haec duo, vt *genus & species; diuortii*

uortium enim tantum praedicabatur de coniugatis: repudium vero promiscue tam desponsatis quam coniugatis applicatum fuit. Ait MODESTINVS in l. 101. §. 1. de V. S. Diuortium inter virum & uxorem fieri dicitur; repudium vero sponsae remitti videtur, quod & in uxoris personam non absurdum cadit. Idem confirmat PAVLVS in l. 191. de V. S. & inter diuortium, ait, & repudium hoc interest, quod repudiari futurum matrimonium potest; non recte autem sponsa diuortisse dicitur: quod diuortium ex eo dictum est, quod in diuersas partes eant, qui discedunt. Conf. l. 2. de diu. & repud. Vnde saepius in iure repudium de diuortio inter coniuges dictum reperitur, ut in l. 4. de diuort. & l. 38. solut. matrim. l. 49. eod. Sicuti vero non raro contingit, vt praedicatum generis certae speciei primario tribuatur, ita quoque diuortium tantum de matrimonio; repudium vero de sponsaliorum dissolutione dici solet, vt vel adducti textus demonstrant, quin quod repudiari alias quoque ius futurum & acquirendum dici soleat, quod in praesenti acquirendum erat, vt cum haereditas delata repudiatur. Et ita etiam in repudio futurum matrimonium, vt in cit. l. 191. dicitur, quod nondum contractum est, sed contrahendum erat. Conf. HENRICVS BROVVERVS de iure connub. cap. 25. n. 3. KITZELIVS in synopsi matrim. cap. 8. theor. 2. lit. a. Hoc itaque sensu speciali repudium est firmorum sponsalium dissolutio. Lubens omitto, quae BROVVERVS cit. loc. num. 1. definitioni addidit, ob iustam causam, inuita parte altera. Nam Romani non adeo iustam causam in repudio desiderabant, quod IPSE num. 5. in fin. agnoscit, nec inconueniens est, illam dissolutionem sponsalium repudium dicere, quae mutato affectu, utroque consentiente, suscipitur, cum vterque ita futurum matrimonium repudiet, quamuis, quod non negem, repudium ut plurimum fieri soleat, inuita altera parte. Caeterum cum hodie arctius insit vinculum sponsalibus, nec pro lubitu, vt olim apud Romanos, dissolui queant, sed demum ex iustissimis causis, merito in sensu hodierno repudium dicimus dissolutionem sponsaliorum firmorum ex iusta causa impune factam.

definitio.

Repudia apud Romanos olim in sponsalibus stipulatione firmatis non erant simpliciter permiffa.

§. III. Equidem quin apud Romanos mutuo diffensu sponsalia dissolui potuerint, nullum habet dubium. An autem et quatenus, inuita altera parte, a sponsalibus recedere licuerit, in eo iura antiquiora Romana cum nouiori non satis conspirant. Olim enim, vbi futuri matrimonii conditiones mutuo pacto determinatae erant, & ob id *puella pacta* dicebatur, *stipulationes* interuenire solebant, quibus interpositis, demum *sponsalia* contracta et *puella sponsa* dicebatur. Atque ex ea *stipulatione*, non ex *praecedente pacto*, quod *nudum* erat, obligatio nascebatur. Testis est GELLIVS in *noct. Att. Lib. IV. cap. 4.* aiens: *Si post eas stipulationes vxor non dabatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat. Iudex, quam ob rem data acceptaue non esset vxor, quaerebat; si nihil iustae causae videbatur, litem pecunia aestimabat, quantique interfuerat, eam vxorem occipi aut dari, eum, qui sponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat.* Actio ex *sponsu* inter *patrem sponsae*, qui spondebat, et *sponsum* ventilanda erat, & si pater *puellae sponsalia* implere recusabat, aut *iustam causam* allegare, aut *interesse* praestare debebat, id quod *stipulationis ratio* postulabat. Caeterum licet *pacta* esset *puella*, nondum tamen *stipulatio* interposita, deficiebat *actio ex sponsu*, cum ex *nudo pacto* deficeret *actio*, vid. HOTTOMANNYS de *spons. cap. 3.* Quin quod eo tempore, quo per *stipulationem* *sponsalia* contrahenda erant, ne quidem contracta *sponsalia* dicerentur, quae *nuda conuentione* inita erant, cum diserte GELLIVS *cit. loc.* asserat: *Is contractus stipulationum sponsonumque dicebatur sponsalia.* Quae cum ita sint, rem acu tetigisse non videntur, qui *pactiones* praecedentes *sponsalia de futuro*; *stipulationes vero sponsalia de praesenti* dici posse censent. Ius canonicum, quod hanc distinctionem ex quorundam patrum doctrina excogitauit, ad antiquiora illa tempora, quorum vix rudera in *digestis* nostris supersunt, haud respexit, nec patres aut scholastici, huius distinctionis artifices, ea antiquitatis peritia instructi fuerunt, vt suam distinctionem in hoc antiquissimo discrimine collocasse, aut eam inde deriuasse credibile sit, cum manifestum sit,

fit, postea apud Romanos scenam satis mutatam, & *sponsalium* rationem paulo aliter efformatam fuisse.

§. IV. Postmodum enim haec solennitas stipulationum sublata permissumque, ut solo consensu sponsalia inirentur, quod indicat GELLIVS *cit. loc.* his verbis: *Hoc ius sponsalium obseruatum dicit SERVIVS ad id tempus, quo ciuitas vniuerso Latio, lege Iulia, data est, ac permissum, ut simplici contrabantur consensu, quem morem recentioremfere vnice referunt ICI. vid. l. 4. & l. 7. princ. l. u. & fin. de sponsal.* Haec ipsa tamen mutatio insignem repudiorum licentiam induxit. Sicuri enim olim, si sola conuentione conditionis futuri matrimonii determinatae erant, desponsati non obligabantur; ita postquam sponsalia *nudo consensu* iniri coeperunt, non magis obligarunt, quam alia *pacta*, quodeo magis admitti debuit, cum ipsa matrimonia facile dirimi potuerint. Iure veteri quidem *diuortia* admodum inusitata fuisse, decantatum est, utpote quae demum A. V. C. 523. exemplo Sp. CARBILII inualuerunt, cuius exempli meminit TERTVLLIANVS *de monogam. cap. 9. in fin.* inquit: *Adeo autem repudium a primordio non fuit, ut apud Romanos post annum sexcentessimum V. C. id genus duritiae commissum denotetur.* Hinc non mirandum est, illo tempore sponsalia quoque *sine iusta causa* dissolui non potuisse, cum adhuc matrimonia sancte colerentur. Ast ubi *licentia diuortiorum* irrepfit, ipsum quoque matrimonii vinculum admodum laxatum est, & consequenter, repudiorum quoque libertas introducta fuit, cum ne quidem tantum praeiudicium in *sponsalium* dissolutione, quam in ipso *matrimonio* deprehendatur, adeoque ex quauis leuiori causa imo uel ex sola *poenitentia* sponsalia dissolui potuerint, omni actione ad interesse cessente. CYPRAEVS *de spons. C. XIII. §. 7. num. 4.*

§. V. Adeo autem haec libertas recedendi a sponsalibus postmodum firmata, et moribus stabilita fuit, ut ne quidem *stipulatione poenali*. quae in locum eius quod inter est succedit, impediri potuerit. Liquet id ipsum ex *l. 134. princ.* stringi potuit

Postea solo consensu sponsalia contracta.

Inde licentia repudiorum orta.

postquam praeterea diuortia inualuerunt.

Libertas repudiorum ne quidem poenali stipulatione constringi potuit

princ. de V. O. vbi haec species refertur: Titia quae ex alio filium habebat, in matrimonium coit Caio Seio, habenti filiam, et tempore matrimonii consenserunt; vt filia Caii Seii filio Titiae desponderetur, et interpositum est instrumentum, & adiecta poena, si quis eorum nuptiis impedimento fuisset. Caio Seio mortuo, filia eius noluit nubere, quaesitum fuit, an Caii Seii heredesteneantur ex stipulatione? Negatur hoc, ex hac ratione, cum stipulatio non secundum bonos mores interposita sit. Prouocat ad mores apud Romanos receptos, secundum quos repudia licita & ita libera, vt nullo modo constringi possent. Nec credendum est, id ideo reprobatum fuisse, quod parentes desponsationem inierint, non liberi; nam (1) notum est, patrem pro filiabus olim sponsalia iniisse, vt ne quidem facile dissentire potterint: l. 12. de sponsal. (2) additur in sequentibus haec specialior ratio: quae ad quaecunque sponsalia applicari potest: quia inhonestum visum est, vinculo poenae matrimonia obstringi siue futura siue iam contracta. Inhonestae saepe dicuntur, quae moribus receptis repugnant. Repudiorum libertas iam ita recepta erat, vt inhonestam videretur, eam stipulatione poenali per indirectum tollere vel restringere velle. Hac de causa quoque PAPIANVS in l. 71. §. 1. de condit. & demonstr. docet, praetorem hoc in casu denegare actionem, quod poenae metu eligendi matrimonii libertas auferri non debeat. Durauit haec praxis adhuc tempore DIOCLETIANI, qui in l. 1. C. de sponsal. disertè fatetur: desponsatas renunciare conditioni, et nubere aliis haud prohiberi. Conditionem pro matrimonio futuro seu sponsalibus accipi, patet ex l. 11. & 36. de R. N. idque ex solenni formula in repudiis visitata: conditione tua non vtor. l. 2. §. 2. de repud. Idem confirmant VALERIANVS & GALLIENVS in l. 2. cod. de repud. vbi hanc decidendi rationem adiungunt: Cum possit filia nuncium remittere, etiamsi praesente illo consilium mutare voluisset. Quod si filia adhuc in potestate patris erat, pater sponso nuncium mittere poterat, & sponsalia dissoluere: Si emancipata, non item. l. 10. D. de sponsal. Similiter nec tutores puellae ad finienda

Sed per aliquot secula durauit.

nienda sponsalia nuntium mittere poterant, cum per eos solos haud constituerentur. *l. 6. eod.*

§. VI. Ad refrenandam horum repudiorum libertatem, tandem poenae introductae sunt, vt si temere fierent, ad minimum non essent impunita: sin ex *iusta causa*, impune omnino admitterentur. *Quadrupli* poena cum restitutione *arrharum* iam sub imperatoribus christianis detrectantibus inire matrimonium impositam fuisse, liquet ex *l. 6. C. Theodos. de sponsal. l. vn. C. Tb. si nupt. ex rescript. per. l. vn. C. Tb. si prouinc. rector.* Vocatur haec poena *iuris poena ex praecepto legum debita*; inde IACOBVS GOTHODVS ad *cit. loc. 6.* concludit, *poenam hanc quadrupli lege Iulia & Papia iam inductam fuisse*, quod hae leges in iure saepe simpliciter *leges* vocentur. Id vero ab omni probabilitate alienum mihi esse videtur. Repudia post legem *Iuliam & Papiam* admodum libera & nullis constricta legum vinculis fuisse ex antecedentibus liquet, nec vllum in pandectis aut alibi vestigium superest, repudiorum libertatem *lege poenali* restrictam fuisse. Prouocat THEODOSIVS in *leg. cit. 6.* ad *veterem constitutionem*, quae sine dubio est anteriorum Caesarum quaedam sanctio: hae proprie *constitutiones* vocantur. Et quid si asseramus, CONSTANTINVM ex doctrina Christianorum forsitan hanc poenam introduxisse ad nimiam repudiorum licentiam domandam? Ad minimum ante imperatorum christianorum tempora haud deprehendimus, frenum huic licentiae iniectum fuisse. Equidem quoad diuortium prouocatur ad *poenam legis in l. 19 de V. obl.* & facile concedo poenam *legis Papiae & Poppeae* intelligi: ast *repudiis* nullam hac lege poenam impositam fuisse, arbitror. Temperavit postea THEODOSIVS in *cit. l. 6.* poenam *quadrupli*, & quatuor casus distinxit, ita vt quandoque puella impune a sponsalibus recedere possit, si nondum est legitimae aetatis; quandoque vero poenam soluere debeat, si iam legitimae aetatis est. Sustulerunt rursus hanc poenam anno 469. LEO & ANTHEMIVS Imperatores in *l. 1. s. cod. de spons.* constituentes, vt mulier matronensis a sponsalibus temere recedens *duplicatas arrhas*;
 mino-

Sub imperatoribus poenae quaedam introductae contra eos, qui absque iusta causa nuntium sponsalibus mittebant.

rursus sublato seculo V.

admissa ta-
men poena
conuentio-
nalis.

Sublata est
inter christi-
anos repudi-
orum licen-
tia.

1) ob contra-
riam morum
disciplinam.

minorennis vero tantum id quod accepit, reddere cogatur: ob iustam causam vero impune recedere possit, veluti *ob turpem vel prodigam vel impudicam conuersationem, aut religionis vel sectae diuersitatem, aliamue iustam causam*. Idem quoque ad sponsum tractum est, hoc addito: *quadrupli videlicet poena, quae in anterioribus legibus definita erat, in qua & arrharum quantitas imputabatur*, (sed hoc erroneum esse videtur. vid. l. vn. C. Tb. si nupt. ex rescript.) *cessante: nisi specialiter aliud ex communi consensu inter contrahentes de eadem quadrupli ratione placuerit*. Hoc modo a veteri iure recessum, quo *poenae conuentionales* in sponsalibus repudiabantur, quae eo magis posthac admitti potuerunt, quia *libertas repudiorum* non prorsus libera & legibus soluta amplius erat, quod etiam Leo in *Nov. 18.* confirmauit. Ex hac debili sponsaliorum vi quoque fluxisse, obseruat VOETIVS *ad tit. de sponsal. §. 12.* quod etiam a sponso in sponsam propriam crimen *raptus* committi poterit, quia ex metu repudii sponsi ad raptum confugebant, & ita *per indirectum* sponsaliorum vinculum conseruare nitebantur, id quod tamen *poena raptus ordinaria* coercendum esse statuit IUSTINIANVS in l. vn. C. de rapt. virg.

§. VII. Haec repudiorum libertas in ipso gentilismo nata, producta & tolerata, inter Christianos merito tolli & coerceri debuit, vtpote quibus sanctior *fides* data in quibuscunque causis, & sic multo magis in *sponsalibus* esse debuit. Amor mutuus & incorruptus, qui christianos commendabat, non permittebat leuitatem repudiorum, vtpote qui *innocentiae signo facile dignoscebantur*, vt cit. MINVTIVS FELIX in *Octau. p. m. 335.* edit. Gronou. *Sic mutuo*, pergit, *quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non nouimus: Sic nos, quod inuidetis, fratres v camus, vt vnus DEI parentis homines, consortes fidei, & spei cohaeredes*. Hic *fraternus amor* adeo sancte colebatur, vt eo ipso a gentilium moribus & institutis sese facile discernent. Omnia innocentia summa, fide constanti, & sinceritate peragebantur, vt conscientiam laedere ipsis omnino nefas reputatum fuerit.

Elegan-

Eleganter id illustrat CLEMENS ALEXANDRINVS *adm. ad gent. in f. res ergo nostrae ita se habent, qui DEI asselae sumus, qualia autem sunt consilia, tales quoque sunt sermones: quales autem sunt sermones, tales etiam actiones, & qualia sunt opera, vita talis.* IDEM *lib. VII. Strom. p. 728.* Christianos, ait, fidem ostendere confessionis in constanti stabilique vita & sermone. Fatetur IDEM *in apolog. c. 39. in f. Christianorum esse neminem laedere, neminem contristari, quae regula sane cum promiscua gentilium libertate repudiorum subsistere haud potuit.*

§. VIII. Fuerunt praeterea *speciales causae* christianis, quae *repudiorum* libertatem plane excludebant. Erant primaevi christiani collecti tum ex *Iudaeis* tum etiam ex *gentilibus*, & quia moribus & ritibus *Iudaicis* plerique tenaciter inhaerebant, ideo quod potior & prima pars Christianorum ex *Iudaeis*, plura solennia & instituta *Iudaica* ex *Synagoga* & *vita communi* retinuerant, suisque sacris & negotiis applicuerant, id quod etiam in sponsalibus contrahendis factum est. Nimirum ut alias res maioris momenti, ita quoque sponsalia *Iudaei* auspicabantur a *benedictione*, cuius formulam antiquam & rationem habet SELDENVS *de uxore Hebraea lib. II. cap. 7.* quamvis hic actus hac de causa non pro *sacro* sed pro *tali* haberetur, qui ne quidem *die Sabbati* peragi posset. Christianis itidem in more positum fuisse, sponsalibus benedicendi, id eo minus dubii habet, quod benedictio teste TERTVLLIANO *de testimon. animae c. 2. p. 65. edit. Rigalt.* quibuscunque aliis negotiis adhiberi, & desponsatio cum *consilio presbyterorum* & *viduarum* suscipi solet, quod rursus TERTVLLIANVS *de monog. cap. II.* docet. Et quamvis ab initio haec *benedictio* non praecise per *presbyteros* fieret, postea tamen receptum est, ut *apud ecclesiam* publicarentur, nec occultae coniunctiones tollerarentur, teste EODEM *de pudic. C. 4.* Hoc more introducto, benedictio quaedam desponsatis in ecclesia facta est, oblationibus etiam adhibitis, qua de causa TERTVLLIANVS *lib. II. ad uxor. C. ult. ait: ecclesiam conciliare matrimonium,*

2) quod sponsalibus quaedam benedictio accederet.

B

obla-

oblationes confirmare, & benedictionem obfirmare, quod ple-
 rique quidem ad copulam sacerdotalem trahunt, sed sine suf-
 ficientibus argumentis, vt nuper admodum ostendit DIR-
 PRAES. *diss. de iure princip. protest. circa solennia matrim. ec-
 cles. §. 9. seqq.* Non enim animaduertunt, mores antiquos
 ecclesiarum ex facie rerum praesentium, quae ante oculos
 nostros versantur, haud esse aestimandos, cum constet,
vocabula antiqua saepius esse retenta, eorum *significatum* ta-
 men ex moribus & institutis nouis prorsus esse immutatum.
 Obsignabat ergo *benedictio* sponsalia contracta, & haec iis
 nouum quoddam robur addere videbatur, vt quod per ec-
 clesiam approbatum, et eius benedictione obfirmatum, re-
 scindi facile non posset. Hac de causa SIRICIVS Papa in
epist. ad Himerium c. 4. apud HARDVINVM tom. I. concil. p.
 348. IVSTELLVM & VOELLVM in *bibl. iur. can.* p. 191. &
 GRATIANVM in c. 50. C. 27. q. 2. ad morem antiquissimorum
 temporum respiciens, ita de sponsaliorum nexu disserit:
*De coniugaliu violatione requisuisti, si desponsatam alii pu-
 ellam alter in matrimonium possit accipere? hoc ne fiat modis
 omnibus inbibemus, quia illa benedictio, quam nupturae sa-
 cerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, se-
 vlla transgressione violetur.* De desponsata puella tantum
 loquitur, non de iam ducta, simulque rationem decidendi
 in benedictione ponit, quae per manuum impositionem despon-
 satus dabatur. CHRYSOSTOMVS quoque *homil. 48. in Ge-
 nef.* idem confirmat, docetque, aduocandos esse presby-
 teros, qui per preces & benedictionem coniunctionem con-
 firmant, vt sponsi amor & sponsae castitas inde augetur,
 quod ipsum TERTVLLIANVS de *monogam. c. 9. p. 53.* iam
 ante his confirmauerat uerbis: *Et coniungent vos in eccle-
 sia virginis vnus Christi vnica sponsa.* AMBROSIVM beato
 AVGVSTINO suauis, refert POSSIDIVS in *vita eius cap. 27.*
*ne cuiquam uxorem posceret, ne, dum inter se coniugati casu
 iurgarentur, eum maledicerent, per quem coniuncti essent,
 sed vt plane ad hoc sibi iam consentientibus petitus debeat inter-
 esse sacerdos, vt vel eorum iam pacta & placina firmaren-*
 tur

tur vel benedicerentur. Videtur hic mos per aliquot secula in oriente continuatus esse, adeo vt postea non tantum sponsalibus, sed etiam ipsi matrimonio *benedictio solennis* accesserit, postquam per LEONEM philosophum haec lex matrimonii posita est. *In scholiis ad Nomo-Canonem Photii tit. XIII.* apud IVSTELLVM & VOELLIVM in *bibl. ant. iur. can. p. 108.* refertur Aurea Bulla NICEPHORI, qua hoc institutum antiquum his comprobatur verbis: *Postquam vetus lex sponsalia in sola contrahentium voluntate constituit, nihilque amplius quam de consensu, instrumentis, & sponsalitiis arrhis elaborat: nostris autem temporibus communis vitae negotia ad longe ornatus magisque sacrum diuina gratia deueniunt incrementum, atque hinc non nuptiae solum, verum etiam sponsalia peragendam sacram benedictionem sibi coniunctam habent.* His praemissis, validitatem eorum, repudiorum libertati prorsus repugnantem, his pronunciat verbis: *Si namque sponsalia contrahentium altera parte aut morte forte alione fortunae casu aut sententiae mutatione recedere, ad aliudque vitae consortium transferri contingat; non exiguus profecto his absurditatis tractus existet, si praecambulae nuptiarum preces in sponsalibus peractae tanquam vanum aliquid temereque accumulatum reputentur, & indiscriminatim ea res intelligatur, quasi DEVS per sponsalia introductus non esset.* Post pauca haec addantur: *Quod si sponsalia quaedam secundum multorum consuetudinem, cum congruenter iam contracta fuerint, & instrumenta confecta: nondum autem statutum tempus, quo Christianis debita benedictio fieri consuevit, aduenerit, neque solennes super desponsatos preces per sacerdotem pronuntiatas fuerint: haec sponsalia quantum ad exactam vitae dissertationem attinet, neque esse neque dici iusta possunt, neque vero aduersus haec synodalis commentarius efficaciam habet: sed tanquam hominum placita simpliciter per stipulationes confirmata auctoritatem ferunt, vetusque legislatio in illis firmitatem obtinet.* Ipsa solennia benedictionis huius referuntur in *Euchologia Graeca pag. 330. seqq.*

3) quod sponsalia sint initiatum matrimonium.

§. IX. Aliis praeterea vsi sunt rationibus patres, quae repudiorum laxissimum vsus inter christianos excluderent, tollerentque. Constituerunt enim & communi quadam doctrina firmarunt, desponsationem esse iam *initiatum matrimonium*, vinculum coniugale iam inchoandum a consensu desponsatorum, non demum ab implemento, & hanc ipsam doctrinam variis scripturae dictis exornarunt. Iam seculo IV. hanc sententiam tuitus est AMBROSIVS, aiens: *cum initiatum coniugium hanc coniugii normam adsciscitur. c. 5. C. 37. q. 2.* Si credendum compilatoribus in *c. 8. eod. & c. 1. X. de condit. appof.* patres Affricani lege publica in conciliis suis ita edixere: *quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsauerit, & eam (conditionem) postea relinquere voluerit, dicimus, quod conditio frangatur, (ob remissionem) & desponsatio irrefragabiliter teneatur.* Remissa enim conditio desponsationem puram facit, & operatur, vt irrefragabiliter implenda sit. Quamvis vero hic canon in *conciliis Africanis*, a IVSTELLO & VOELLIO editis, haud deprehendatur, quia tamen in variis antiquis collectionibus deprehenditur, non adeo improbabile est, inter *Africanos Canones*, qui non omnes collecti sunt, cum olim relatum fuisse; ad minimum testimonium de doctrina patrum antiquissimorum idoneum praebet. AVGVSTINVS inter omnes *vinculum coniugale* omni profus robore esse stabilendum innuit, vt omnia eius scripta docent, quae quaeuis diuortia profus inter Christianos eliminari studuerunt. Non ergo mirandum, si *sponsalibus* quoque insignem vim obligandi tribuerit, vt in *c. 9. C. 27. q. 2. coniux vocatur a prima fide desponsationis*, id quod tum ipse tum eius aeternae exemplis ex historia sacra petitis, in quibus desponsati *coniuges* vocati, demonstrarunt. *c. 40. seqq. eod.* Ex hac *sponsaliorum cum coniugio* conuenientia collegerunt (1) non aliam ducendam esse, quam liberam, non alii iam desponsatam. *c. 13. eod.* (2) Non licere parentibus puellam desponsatam alii viro tradere, *c. 27. C. 27. q. 2.* nec illam posse a sponsalibus recedere, nisi conuerti voluerit, *c. 27. & 28. eod.* In *conci-*

conclusiones
ex hac doctrina,

concilio Elibert. anno 313. c. 54. patres ita edixere: *Si qui parentes fidem fragerint sponsaliorum, triennii tempore abstineantur. Si tamen iudem sponsus vel sponsa in graui crimine fuerint, deprehensi excusati erunt parentes: Si in iisdem fuerit vitium & polluerint se, superior sententia seruetur.* vid. HARDVINVS tom. I. concil. p. 256. (3) Ne quidem permittum esse sponsae vel sponsi defuncti consanguineam ducere, quod iam cum defuncto vel defuncta contractum sit matrimonium, c. 11. 12. 14. 15. eod. illudque futuris nuptiis impedimentum inferat, quod sponsaliorum insignem vim arguit. (4) Ne quidem raptum sponsae sponsalia dissolueret. Iam anno 314. in concilio Ancyrano c. u. apud IVSTELVUM & VOELLIVM in bibl. iur. can. p. 27. HARDVINVM tom. I. concil. p. 276. & GRATIANVM c. 46. C. 27. q. 2. haec sunt statuta: *Desponsatas puellas & post ab aliis raptas placuit erui, & eis reddi, quibus antea fuerant desponsatae, etiamsi eis a raptoribus vis illata constiterit, vel vt apud HARDVINVM ex collect. Isidori mercatoris dicitur: etiamsi a raptoribus florem pudoris sui amisisse constiterit.* Adeo iam obligatio sponsaliorum est extensa, vt ne quidem vis sponsae illata sponsalia dissolueret, repudioque locum daret.

§. X. Ira docuerunt, ita constituerunt patres: sed eorum sententias circa seculum quartum & quintum nondum in fora ciuilia, in quibus *causae matrimoniales* excutiendae erant, receptas fuisse, leges ab imperatoribus latae demonstrant. Nam prout supra dictum, anno 469. LEO & ANTHEMIVS repudia adhuc permiserunt sub onere soluendi *arrhas duplicatas, nec IVSTINIANI* temporibus diuersum obtinuisse, vel inde colligo, quod in *Codice* nihil hac in re innouauerit. Quin quod cum *diuortiorum* libertas adhuc eo tempore insignis esset, reclamantibus licet ecclesiae patribus, quo posito, repudia maiori libertate frui debuere. Etiam in *occidente* repudiorum libertas non penitus fuit extincta. Anno 630. sub DAGOBERTO in *LI. alleman. cap. 53.* apud STEPHANVM BALVZIVM tom. I. capitul. p. 71. ita statutum: *Si quis filiam alienam desponsatam dimiserit,*

Haec patrum doctrina ratio men in foraciuilia eo tempore non fuit introducta.

Etiam in occidente.

quod sponsalia sunt matrimonium.

& aliam duxerit, componat eam, quam desponsauit, & dimisit, cum quadraginta solidis, & cum duodecim sacramentalibus iuret, cum quinq[ue] nominatis & septem aduocatis, vt pro nullo vitio nec tentatam eam habuisset, nec vitium in illa inuenisset, sed amor de alia eum adduxit, vt illam dimisisset, & aliam habuisset uxorem. In LL. Baiuariae apud EVNDEM p. 15. idem repetitur, additurque: & sit finitum inter eos, & postea filiam suam donet, cui vult. Aucta est poena tempore CAROLI M. vsque ad ducentos solidos, ceu docet capit. de anno 814. apud EVNDEM cit. r. p. 55. quia iam ex epistola SERICII receptum erat, vt alterius sponsam nemo acciperet. vid. lib. 1. capit. 5. apud EVNDEM tom. 1. p. 701. Ita paulatim in fora externa etiam doctrina patrum ecclesiasticorum transit, effecitque, vt maior reuerentia sponsalibus haberetur.

Sed paulatim ex patrum sententia etiam leges ciuiles sponsalibus maiorem efficaciam tribuerunt.

et aliam
non etiam
substanti

Accessit 4) noua doctrina desponsalibus de presenti & futuro.

§. XI. His de causis factum est, vt repudiorum libertas & legibus ciuilibus & patrum sententiis fere eliminaretur, magis tamen his quam illis. Adeo enim sententia, quod sponsalia vim haberent matrimonii, est producta & extensa, vt adulteri rea diceretur sponsa, quae relicto sponso priori, cum alio matrimonium iniret. In Concilio oecumenico, quod quini sextum vocatur, c. 98. apud HARDVINUM tom. III. Concil. p. 1695. confirmata est haec doctrina his verbis: qui alteri desponsam mulierem, eo adhuc vitio, cui desponsa est, in nuptiarum ducit societatem adulterii crimini subiiciatur. Fit etiam huius Canonis mentio in schol. ad PHOTII nomoc. cit. l. simulque ea sententia restringitur ad ea sponsalia, quibus accesserat pro more illius seculi benedictio, cum probabile admodum sit, eo tempore adhuc vsitatum fuisse benedictionem, quae adeo in oriente est conseruata, vt post PHOTII tempora, imo ad huc hodie, vt Euchologia docet, in viridi fuerit obseruantia.

§. XII. Prodiit tandem ex scholasticorum penu noua doctrina circa sponsalia doctrina quae iure Canonico, quod in Decretalibus continetur, confirmata est. Plures animaduertent, nimis a patribus nonnullis extensam esse vim spon-

sponsaliorum, quae tamen proprie dictum matrimonium haud constituerent, adeoque duo constituerunt genera sponsaliorum *de futuro* & *de praesenti*, maximum vltimum in doctrina de *repudiorum libertate* habentia. Haec vim *matrimonii* & sic *indissolubile vinculum* habere edixere Pontifices, quod in his *consensus matrimonialis* declaratus sit, cuius formulae adducuntur in *c. 9. & c. 31. X. de sponsal. c. 3. X. de sponsal. duor.*, adeoque in his nullam admiscere licentiam repudiorum, sicuti in ipso matrimonio omne fere diuortium sustulerunt. Dixere enim talia sponsalia esse ipsum matrimonium, *c. 14. X. de conuers. coniug. c. 22. & c. 31. eod.* quo posito, omnis *repudii* facultas prorsus excludi debuit. Sponsalia vero *de futuro*, quae sunt *futurarum nuptiarum promissa* iuxta NICOLAVM in *c. 3. C. 30. q. 5. a matrimonio* distinguenda esse censuerunt, vt *vinculum indissolubile* haud continerent, & ita *repudio* locus esse posset. Distinxere vero vterius inter sponsalia *puberum* & *impuberum*: in hisce *repudio* locus est relictus, adeo vt alter pubes factus simpliciter, etiam altero inuito ab iis resiliere possit. *c. 7. & 8. X. de despons. impub.* Illis obligationem utique inesse crediderunt, non tamen *indissolubilem*, sed ita comparatam, vt iuxta de causa dissolvi queat, & desponsati mutuo dissensu recedere possint. *c. 2. X. de spons. c. 25. X. de Iurei. c. 10. & 17. X. de spons.* Inde Canonistae solliciti admodum fuerunt in conglomerandis probabilibus repudiorum causis de quibus *c. seqq.* videbimus.

§. XIII. Quantas confusiones inter protestantes haec distinctio pepererit, noto notius est. Retinuerunt eandem, sed novos prorsus significatus ei tribuerunt, vt docuit excell. Dominus PRAESES *diss. de incongrua praxi doct. de spons. de praes. & de fut. in ser. protest.* Imo nequidem Protestantes in *definitionibus* ipsis inter se concordant. Plerique huc dilabuntur, vt *pura de praesenti, conditionata de futuro* dicant, licet sine solido fundamento: certe de iure Canonico de *futuro* sunt tam *pura* quam *conditionata*, nec *conditionata promissa* minus obligat quam *pura*. Hac me-

tamor-

Doctrina
hac propaga-
ta ad prote-
stantes, sed
mirifice tur-
bata.

Pura indissolubilia dixerunt. tamorphosi secuta. *pura* quidam fere indissolubilia constituerunt, vt non aliis ex causis dissolvi possent, quam ex quibus matrimonium, vt docet KITZEL in *Synops. matr. c. 8. theor. XI.* in sponsalibus autem de futuro plures admiserint leuiioresque causas, vt IDEM *cit. loc. Theor. XIII. sq.* innuit. Huic accessit COTHMANNVS *vol. 1. resp. 78. n. ii.* aiens: *omnes iuris interpretes sponsalia de praesenti pro vero indissolubili & inseparabili matrimonio habere, quod solus consensus matrimonium constituat.* CARPZOV, *Lib. 2. Iurispr. Confist. def. 17.* eandem cantilenam secutus est, & per *publica sponsalia de praesenti* ipsum matrimonium contrahi docet, *conditionatis* tamen parem vim haud inesse adstruit, *def. 22. seq.* adeo vt pro lubitu ab iis recedere liceat, inuita etiam altera parte. IDEM *cit. l. def. 174.* Nihilominus tamen iustas repudiorum causas *def. 175. sq.* adfert in sponsalibus pure contractis, quae indicium praebent, in vniuersum hanc doctrinam non adeo cohaerere.

Protestantes non habent sponsalia de praesenti in sensu iuris canonici,

§. XIV. Nimis longum foret, si per singulorum Dd. tradita ire vellem, quae ita sunt comparata, vt connexionem idoneam destituantur. Linqvam haec *ἀποδεχάρα*, & ne in eandem scyllam incidam, pauca quaedam adducam praesupposita, vt inoffenso pede in hac doctrina progredi queam. Videlicet conclamatum & indubium est, 1.) Protestantes non habere *sponsalia de praesenti in sensu iuris canonici*, adeoque inter eos deficere negotium, cui doctrina huius iuris de his sponsalibus tradita applicari possit: 2.) omnia nostra sponsalia in praxi, ex intentione contrahentium, & ex natura rei esse *de futuro matrimonio*, non *praesens matrimonium*, adeoque ab hoc ad illa non valere consequentiam: 3.) Sponsalia *conditionata* aequae obligare ac *pura*, ad minimum ad expectandum conditionis euentum, adeoque vix dici posse, facilius dissolui posse conditionata, quam pura, quod CARPZOVIVS statuit, ex erroneo supposito, conditionata esse de futuro in sensu iuris Canonici. Condicio non mutat speciem conuentionis, obligat ad expectandum euentum, vniceq; operatur ne obligationis dies cesserit. Interim

rim quoad *libertatem repudiorum* nihil plus in his, quam in *puris* permiffum videtur, cum nec *spem matrimonii* fallere liceat. Agnuit id ipsum etiam ius canonicum, quod *conditionatis* omnino quoque vim quandam obligandi aequae ac *puris* tribuit, c. 22. X. de *sponsal.* adeo vt etiam *impedimentum honestatis* publicae inducere dicantur aequae ac pura. c. 3. eod. & ab eis temere recedentibus poena ecclesiastica imponatur. c. 3. X. eod. Hac de causa credidi, abstinendum in hac doctrina ab hac distinctione, & non alias in *conditionatis* admittendas esse probatas repudiorum causas, quam quae *puras* dissoluunt. (4) Separandas esse causas *nullitatis* a causis *repudiorum*: illae ab initio sponsalia nulla constituunt, nullamque inducunt obligandi efficaciam, adeoque non tam *dissolunt* sponsalia, quam eadem *nulla* esse ostendunt, veluti si sine parentum consensu, si per vim metumque iustum, si interueniente iusto errore ea fuerint contracta. E contrario causae repudiorum probatae praesupponunt, sponsalia fuisse *rite & valide* inita nulloque vitio ab initio laborare. Vnde quoque *impuberum* sponsalia hic minime sunt supponenda, quippe quae adhuc *imperfecta* & vinculo legitimo destituta sunt, adeo vt *sine causa*, pubertate adueniente, dissolui queant. (5) *Tractatus sponsalium* itidem a meo scopo esse alienos, quales dicuntur *praeliminares de futuro matrimonio deliberationes & promissiones futurorum sponsaliorum publicorum*, quae antequam plene sunt determinatae, vt nihil amplius determinandum supersit, vim obligandi non habent. Proinde antequam de *probatis repudiorum causis* contentio suscipiatur, ante omnia videndum: vtum sine villo vitio & nullitate sint? vtum inter puberes contracta. Denique (6) praesupponi debet, *rem inter de sponsatos adhuc esse integram*: si concubitus sponsalibus accessit, si sponsa iam vtrem gerit, nexus inter eos est firmior, quia iam prope ad ipsum accessit *matrimonium*, adeo vt licet non sit matrimonium solenniter inicum, vim tamen matrimonii quoad indissolubilitatem habeat, vt non aliae repudiorum causae, quam quas ipsum admittit matrimonium

Nullitatis
causae a cau-
sis repudiorum
distingui
debet.

In repudio
concedendo
res adhuc de-
bet esse inte-
gra.

num, admittantur, cum haec demum in sensu *ius canonici* dici possint *sponsalia de praesenti*, & illa huc applicari, quae ius de illorum nexu arctissimo tradit.

CAP. II.

De

Probatis repudii causis.

S. I.

Conuentio-
nes regulari-
ter obligant,
ita etiam
sponsalia.

nisi iusta cau-
sa vinculum
tollat ex post
facto.

EA est omnium contractuum natura & ratio, vt obligationem firmam inducant, a qua licitum haud est, altera parte inuita recedere. *l. 5. C. de obl. & act. l. 36. in f. de iudic.* Est enim alteri ius ex *acceptatione* quaesitum, quod ei inuito rursus adimi nequit; imo si pro lubitu a conuentionibus recedere liceret, non obligationem, quae *necessitatem agendi* inuoluit, *l. 8. D. de obl. & act.* produceret, sed *libertatem* agendi conseruaret. Quod olim *sponsalia* nexum tam solubilem habuerint inter Romanos, specialem suam habuit rationem, quae hodie cessat, vnde, prout dictum est, in his regulae insistimus. Sicuti autem omnis promissio intelligitur sub clausula: *rebus sic stantibus c. 25. X. de iurei. ill. COCCIVS de clausula rebus sic stant.* ita multae causae interuenire possunt, quae liberant promittentem a nexu, quo antea tenebatur, vt impune & sine praestatione eius, quod interest, a contractu recedere possit. Idem in *sponsalibus* contingere experientia docet, quibus eadem inest conditio, vt *cit. c. 25.* docet, et ratio eius intima demonstrat. Finis enim sponsaliorum est, vt nuptiae contrahantur, cum par sit, tanti momenti obligationem non protinus, sed duobus demum distinctis gradibus perfici, vt adhuc intermedio tempore dispici queat, num aliquid fortasse sit, quod matrimonii consummationem impediatur, quod non statim ab initio perspicere potuerit. *scipio GENTILIS lib. II. de nupt. c. 2.* In causis sane arduis & maioribus lepte festinandum est. Nec mihi verti vitio potest,

potest, quod argumentum a contractibus ad sponsalia traxerim. Quis enim sponsalia per modum conuentionis perfici, negauerit? cum ipsum matrimonium etiam contractum civilem esse asserant nostrates & pontificii quidam. Inter hos celebris est IO. LAVNOIVS de regia matrim. potestate, toto libro thesin hanc defendens. Inter illos principatum tenet FRIDER. VLRICVS CALIXTVS de diuort. et coniugio §. 24. aiens: Non satis igitur mirari possum esse etiam inter nostrates, qui coniugium contractum civilem esse negant, argumento potissimum moti isto, quod si esset talis contractus, hoc sicut mutuo contrahentium consensu initur, ita mutuo eorundem dissensu solui possit. Sed non est de omni contractus civilis formalis, & intrinseca ratione, ut mutuo contrahentium dissensu hoc ipsum, quod eorundem consensu est initur, soluat, aut si contingat, ut non possit solui, desinat esse contractus civilis. Manifestum hoc redditur exemplo istorum contractuum, in quibus tertio aliquid reseruatur iuris. Paulo ampliori exemplo id illustrat, quod huc repetere non placet, quia non caret dubiis: sufficit enim, si dicamus, semel hanc legem tum iure diuino tum humano matrimonio datam fuisse, ut indissolubile vinculum conciliet, quorsum etiam CALIXTVS paulo post collineat his verbis: Est igitur a contractu nuptiali inseparabilis summae maiestatis auctoritate addita conditio, ut contrahentes contractui per mutuum dissensum non renuncient, in quam conditionem sponsalia contrahentes sive palam sive tacite consentiunt. Nec tamen annexa ista indissolubilitatis, ut ita loqui liceat, conditio impedit, nec impedire potest, quo minus pacta ista nuptialia sint & habeantur pro contractu civili e quo deinceps coniugalis nascatur societas.

§. II. Merito itaque in repudio probatas desideramus causas, hoc capite explicandas. Hae vero tunc demum adesse debent, si, altera parte inuita, quis a sponsalibus recedere intendit. Quod si mutuo consensu a contractu resilire contrahentes gestiant, id regulariter iis liberum est, si vel maxime nullam iustam habuerint causam, quatenus res adhuc est integra, maxime si solo consensu negotium

Mutuo dissensu a sponsalibus recedere licet de iure canonico.

tium perficitur. §. *ult. I. quib. mod. toll. obl. l. 58. D. de pact.* Idem de *sponsalibus* forsan discendum erit, quae *solo consensu* desponsatorum perficiuntur. Quis vero nescit, quot fluctus hic ab interpretibus moueantur. Aiunt, negant, distinguunt, vt plerisque aqua haerere videatur. Sententia iuris canonici in hac quaestione certior est, atque euidetior, si sponsaliorum diuisionem iuxta eorum sensum aestimamus. In sponsalibus *de futuro*, siue *para* sint, siue *conditionata*, admittunt dissolutionem ex mutuo dissensu. Pontifex in *c. 2. X. de sponsal.* sine vlla haesitatione id approbat, & praeterea, ait, *hi, qui de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt, commoneandi sunt, & omnibus modis inducendi, vt praestitam fidem seruent: Si autem se ad inuicem admittere noluerint, ne forte deteriorius inde contingat, vt talem scilicet ducat, quam odio habet, videtur, quod instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, haec possit in patientia tolerari.* Trahit hic argumentum pontifex 1) a contractu *societatis*, quae sicuti mutuo dissensu dissolui potest, ita quoque idem admittendum esse credit in *sponsalibus*, quae mutuo dissensu dissolui possunt. GONZALEZ ad *cit. text. n. 7.* 2) Loquitur pontifex de sponsalibus illis, quae *pure, & sine omni conditione inita sunt*, de futuris nuptiis, qualis natura & ratio sponsaliorum ordinaria & regularis est. Vnde nihil agunt ex protestantibus, qui hunc textum ad sponsalia *conditionata* restringere volunt, qualia illi dicunt de *futuro*. 3.) Vult tamen Pontifex, vt *commoneantur, & omnibus modis inducantur ad fidem datam seruandam*. id quod non necessitatem & coactionem, sed *suasione simplicem* continet, & ideo praemitti debet, quia aequum est, vt quantum fieri potest, partes dissidentes ad concordiam trahantur, quod Episcoporum potissimum est officium *c. 7. & u. D. 90* 4) Denique si nec admonitiones quicquam proficiant, patienter toleranda esse dicitur remissio fidei reciproca, non per modum *dispensationis*, vt quidam somniant, sed *iuris communis*, quod ratio a societate

tate adducta indicat. SANCHEZ de *sacram. matrim. l. 1. diff. 52. n. 2.* Ni vero me omnia fallant, haec verba simul indicant, non *privato ausu*, sed *iudicii ecclesiastici autoritate* partes recedere debere. *Patienter tolerari haec debere*, ait Pontifex, id quod de *iudice ecclesiastico* intelligit, ne invitos cogat, sed permittat tandem, vt ab inuicem recedere possint. Nec diuersum obtinet in sponsalibus *iuratis*, cum alter alteri iuramenti vinculum remittere possit, quod admittit SANCHEZ *cit. l. n. 6.* cum GONZALEZIO ad *c. 2. cit. n. 7. inf.* imo etiam ipse Pontifex *inc. 7. X. de sponsalib.* Quamuis enim in *cit. text.* videatur loqui de vnus dissensu, id tamen eo magis applicari potest ad mutuam fidei datae remissionem. Arcetius vinculum tribuunt *sponsalibus de praesenti*, quae iuxta eorum hypothesein sunt ipsum matrimonium, a quo mutuo dissensu resilire haud integrum est, vt *cap. antec. §. ult.* iam monui.

§. III. Quid vero adhaec Protestantes? si pars maior vincet, si ex communi doctrina veritas esset aestimanda, sponsalia *pura & publice* contracta non essent mutuo consensu dissoluenda. Argumenta, quae Patroni huius sententiae in scenam producant, relata & examinata sunt sedulo a B. STRYKIO *d. diff. sponsal. sect. 3. §. 9. seqq.* quae hic repetenda esse haud necessarium duco. Referam tantum sententiam *Theologorum Vitebergensium* apud DEDEKENVUM *Vol. III. lib. 2. sect. 13. n. 2.* vbi ideo sponsalia haec per mutuum dissensum dissolui posse negant; daß solche öffentliche Eheverlöbntis da sine conditione per verba de praesenti eines dem andern die Ehe zugesagt/ eine rechte Ehe ist vor Gott und vor der Welt/ ungeachtet/ wenn gleich das Verschlossen nicht erfolgt ist. Non intellexerunt Mystae Vitebergenses *verba de praesenti*, quae iuris canonici sunt, & sic quoque ex hoc iure interpretanda erant. Verba *pura & de praesenti* esse hoc iure diuersissima liquet ex *c. 2. X. de sponsal. in §. antec.* explicata. Turbarunt admodum rerum moralium conceptum, qui ex intentione contrahentium desumendus erant, non ex praesupposita opinione vaga & incerta.

Cum auctoritate iudicii ecclesiastici.

An inter protestantes?

Qui sponsalia in*it*, in *futurum*, non *praesens* consentit matrimonium, nec hoc contrahit, sed contrahere in futurum cogitat. Falsum ergo est, *purum* in sponsalia consensum esse *matrimonium* vor *GDit und vor der Welt*. Si hoc verum esset, poenitentia ecclesiastica non esset statuenda in anticipatum concubitum. Adserunt praeterea vulgatum illud: *consensus facit matrimonium non concubitum*, quo ipso tamen notorie confundunt consensum *sponsalium* & *matrimoniale*, qui diuersissimum *finem* & *obiectum* habet, cuiusque differentia plenius ostensa est in *diss.* excell. Dn. PRAESID. *de diuers. sponsal. & matrim. iure in proleg.* §. 2. Sponsalitiis non sufficit ad matrimonium, sed ad hoc ineundum *nouus* & a priori diuersus desideratur, & in *hierologia* hodie exprimitur. Denique quod in quibusdam *sponsalia* cum *matrimonio* conueniant, non inducit identitatem rei, sed haec duo negotia adhuc distinctissima manent, ceu infiniti effectus diuersi ostendunt relati in *cit. dissert. per tot.* Plures aliae huius farinae adducuntur rationes a KIZELIO in *Synopsi matrim. c. 8. theor. u. lit. c. FINCELTH. obs. 42.* CARPZOVIO *lib. 2. iurispr. consil. des. 173.* aliisque, quae tamen petunt id, quod est in principio. Id vero satis mirari non possum, plerosque etiam prouocare ad *ius canonicum*, & dissolutionem tantum admittere in sponsalibus de futuro seu conditionatis, negare autem in puris seu de praesenti. Ait NICOLAI *de repud. P. I. c. 2. n. 9.* sponsalia de futuro, *qualia hodie habentur, quae sub certa & honesta conditione aut adiecto die contrahuntur*, longe facilius dirimi posse, per textum expr. in *c. 2. X. de sponsal.* Et tamen hic textus loquitur non de *conditionatis*, sed de illis, quae *pure & sine omni conditione* contracta sunt. Ergo si ex mente iuris canonici, prout NICOLAI credit, haec quaestio decidenda, *pura* mutuo dissensu aequae dissolui possunt, vt *conditionata*, quia *ius canonicum* in *puris sine omni conditione* contractis admittit repudium. Nec ratio diuersitatis genuina reddi potest, cum quae sit ratio remissionis fidei mutuae in *conditionatis* sponsalibus, eadem quoque in *puris* locum sibi vindicet.

cet. Si dicendum, quod res est, non aliunde hic error natus est, quam ex peruerfa iuris canonici applicatione. Hoc sponsalia *de praesenti* indissolubilia esse decernit: id Protestantibus etiam asserunt, sed mutant definitionem & rerum conceptum; illa aientes *de praesenti*, quae ius canonicum decernit esse *de futuro*, ut *cit. c. 2.* indicat. Mutato autem rerum significato, praeicata pristina amplius applicari non possunt. Cum itaque evidens sit, sponsalia pura non esse matrimonium, nec *de praesenti*, quae ius canonicum fingit, sed in solo *conventionis* vinculo & terminis subsistere, ut ait B. STRYKE *cit. l. §. 23.* quid impediret, quo minus mutuo dissolui possent consensu. Interim facile largior, id priuato ausu ut fiat, non facile largiendum esse, sed Confessorii auctoritatem interuenire debere, prout etiam *cit. c. 2.* innuit, & admittit BROUWERVS *de iure connub. lib. 1. c. 28. n. 56.* cum sponsalia hodie non simpliciter desponsatorum arbitrio subiecta sint, ut ceteri contractus consensuales. Interim nec magistratui ecclesiastico integrum est, si desponsati ad consummanda sponsalia moueri nequeunt, consensum & auctoritatem denegare, sed prout prudenter Pontifex in *c. 2. cit.* innuit, *patienter hoc tolerare debet*, quia coactiones difficiles solent habere exitus. Recte id obseruat BROUWERVS *cit. l. & nec video*, ait, *cur adeo difficiles quidam sint, ut hoc negent; etenim, licet quid de natura finis sui participant sponsalia, publica matrimonia tamen non sunt, sed uia duntaxat, & gradus ad nuptias, ut Deus nondum coniunxisse dici possit in explicabili nexu, qui sponsores duntaxat sunt coniugii futuri. Deinde, & melius est, mutato affectu utriusque consponsi, si infelix credatur futurum coniugium, ut sinat magistratus distrabi sponsalia, quam ut cogat, inuitas nuptias perficere, distrabendas postea forte vel diuorrio vel lectuli & mensae separatione.*

§. IV. Sicuti uero *mutuus dissensus* non ex odio & inimicitias capitalibus, sed potius ex aliis causis originem trahere potest, ita multo magis repudio locus relinquendus est, si *inimicitia capitalis & odium implicabile* superueniens proba-

An ob inimicitias capitales repudio locus esse possit.

ri pos-

ri possit. Aut enim hae inimicitiae sunt mutuae, aut tantum in altero *desponsatorum* deprehenduntur. Priori casu mutuus adest dissensus, & ita secundum antea dicta procedendum, & quidem eo magis, quia inter *hostes* talis indidua vitae consuetudo per rerum naturam subsistere nequit, qui potius seiungendi quam coniungendi, ne in luctuosum & tristissimum vitae consortium consentire cogantur. CYPRAEVS *de connub. iure c. XIII. §. 82.* Posteriori casu, si forsan sponsa abhorret a moribus austeri sponso; si odium Vatinianum contra eum concepit, vt nullo modo id ex mente eius eradicari possit, videndum vtrum *iustam odii causam* habeat nec ne. Priori casu ex causa odii statuendum, an *impune* repudium sponso mittere possit, qua probata, repudium non denegandum. Quid enim si verberibus sponsam excepit? si graui iniuria affecit? Si imperiosius ita eam tractauerit, vt instar *mancipii* eam se habiturum esse ostendat? BRUCKNERVS *in decis. matrim. c. 1. n. 59.* Posteriori vero discernendum prudenti iudici an odium *simulatum* an *verum*? solent puellae non raro spe matrimonii melioris & vt eo promptius faciliusque a sponsalibus recedere possint, fingere horrorem, odium & inimicitiam, cuius tamen causam genuinam adferre nequeunt, praesertim cum sponte sponsalia solenniter contraxerint, & amorem erga sponsum multis ostenderit argumentis: mox amore erga alium captae (est enim varium & mutabile semper foemina) repudium priori sponso mittere intendunt, & destitutae iusta causa tantum odium, & quod eius praesentiam penitus exhorrescant, allegant, quae causa omnino reiicienda, ne dolus eis prosit, quin potius iudex per sententiam consummationem matrimonii iniungit, eamque remedii probatis ad hoc cogit, adductis a Dn. PRAESIDE *in diss. de matrim. coacto c. II.* Posteriori casu, si odium verum non simulatum esse appareat, si nulla ratione in concordiam reduci possunt ob omnimodam animi auersionem, permittenda est dissolutio sponsaliorum, *ne forte deterius inde contingat, vt tali nubat, quam odio habet*, vt ait pontifex *in c. 2. X. de sponsal.*

sponsal. salua tamen satisfactione alteri praestanda. CARPZ.
lib. II. iurispr. consist. def. 176.

§. V. Hoc modo per varias distinctiones procedendum, & de hac quaestione iudicandum esse autumo. Plurimi sine vlla fere distinctione de hac quaestione iudicant, vt BRVCKNER *cit. l. NICOLAICIT. l. n. 15. MOGGIVS de sponsal. c. 2. SANCHEZ cit. l. disp. 59.* eamque vel *absolute* negant vel affirmant, quod tamen non potest non multas parere discordias. Imprimis MOGGIVS *cit. l. th. 1.* ita simpliciter format statutum controuersiae: *an sponsalia de praesenti h. e. pura, propter odia & inimicitias, quas sponsi iactant, seu arbitrantur esse irreconciliabiles, dissolui a magistratu debeant & possint?* In *c. 1. th. 19.* iam praemiserat, *mutuo dissensu sponsalia solui non posse, ergo etiam idem de eo casu, quo odia sunt reciproca, vnde mutuis nascitur dissensus, siue dubio intelligit, quod etiam argumenta, quae adducit, indicare videntur. Ille negat, magistratum expresse hoc vinculum dissolueri posse ob capitales inimicitias, quamuis tolerare possit, ne matrimonium consumment. Partim ergo negat, partim affirmat. Tacite conniuendo, magistratum repudium tolerare, non expresse decernere* possit, quae philosophia admodum curiosa est. Quantum enim iudico, iudex iudicare debet pro consummatione matrimonii, executionem autem eius non adeo urgere, sed tacite permittere debet, vt sententia inanis sit & effectu careat. Quid autem si vterque postea aliud matrimonium iniuerit contra talem sententiam? an hoc rescindendum? an puniendi sunt? vel an rursus magistratus tolerantiam & patientiam hic prae se ferre debet? Hoc subtili temperamento magis rem inuoluit. Sed videamus, ob quas causas magistratus ecclesiasticus non possit decernere expresse dissolutionem sponsaliorum purorum.

§. VI. Ait MOGGIVS *th. 4. cit. l. (1)* nullos in toto iure occurrere textus, quo magistratui haec licentia fuerit concessa, quin potius ex *c. f. X. de sponsal. consistare, sponsalia de praesenti ratione vinculi essentialis & extrinseci*

Plures simpliciter repudium in hoc casu excludunt.

Referantur & examinantur negantium rationes.

D

nihil

Responsio ad
primam rati-
onem,

nihil hactenus a vero matrimonio differre, adeoque aliis de
causis rescindi non posse quam ob quas ipsum rescinditur
matrimonium. Ob *mimicitias* autem *capitales* rescindi nun-
quam posse matrimonium, omnium confessioni constat; er-
go idem quoque dicendum erit de *sponsalibus*, nisi odio ac-
cesserint insidiae. Parum praesidii in hoc argumento habebit
MOGGIVS, si destitutus fortioribus copiis erit. Erroneum est,
textum in toto iure de hac causa non occurrere. ALEXAN-
DER III. in c. 2. X. de *sponsal.* permittit expresse repudium
ob *odium*, & si vel maxime textus hic deficeret, recte ta-
men interpretes animaduertunt, arbitrio iudicis totum hoc
negotium committendum esse, ex rerum circumstantiis
sumturi argumenta, ut ait BROUWERVS de *iur. connub.*
lib. 1. c. 25. n. 9. cum SANCHEZ lib. 1. de *matrim. disp.* 62. n. 3.
CARPZOVIO lib. 2. *iurispr. confist.* def. 176. n. 3. sq. CYPRAEO
de *sponsal.* c. XIII. §. 8. n. 1. Leuileiorum est, verba textus
requirere aut vrgere, vbi sufficiens iuris ratio, qua iurispru-
dentia perficitur, adest. Argumentum ex c. f. cit. Idem sum-
tum parum sententiae MOGGII patrocinatur. De *sponsalibus*
de *praesenti* loqui textum, & quidem in sensu singulari *iurâ ca-*
nonici, nemo non videt, qualia protestantes ignorant, nec
MOGGIVS vnquam vidit. Quae enim *publica* & de *praesenti* vo-
cantur, sunt illa ipsa, quae describuntur in c. 2. X. de *sponsal.* h. e.
pura & *sine vlla conditione contracta*. Quis vero haec *matrimo-*
nium assereret? quis eandem illis vim, quae coniugio inest, tri-
bueret? Absurdum vtique est, ob nullas alias causas *spon-*
salia dissolui posse, quam per quas rescinditur vinculum
connubii. (II.) Prouocat ad edictum diuinum: quod
ego DEVS coniunxi, vos creaturae meae dissoluere non de-
betis, quod aequè ad *desponsatos* applicandum esse censet,
quia iure diuino sunt & nominantur *coniuges*, & copula car-
nalis postea accedens tantum consummationem matrimo-
nii operatur. Quapropter, ait, recte demum inferitur, *spon-*
salia de praesenti pura & non *clandestina* a nullo hominum
separari posse. Mirifice turbat MOGGIVS conceptum *con-*
iugii & *sponsaliorum*, quem ex iure canonico non recte in-
tellecto

Secundae ra-
tionis exa-
men,

tellecto deprauavit. Pertinere verba Christi ad matrimonium realiter contractum, non contrahendum, docet tum ratio ex unitate carnis desumpta, tum ipse contextus, & huic consentiens tota interpretum turba, ostendente B. STRYKIO de diss. sponsal. c. III. §. 22. Imo ipsa occasio, qua saluator noster haec verba: quod DEVS coniunxit, homo non separet, adfert, manifestum praebet argumentum, ipsum de matrimonio, quatenus per diuortium dissolui possit, loqui. Hac vnice sententia illis contradixit, qui nullum verum nexum in matrimonio agnoscebant, & ob quasunque causas illud dissolui posse credebant. De sponsalibus nec interrogatus Christus, nec quaestio fuit. Iure diuino haec matrimonium esse, incongrue dicitur, quod intentionem contrahentium non aliorum detorquet, quam quorum directa fuit. Nouus sane & a sponsalium diuersus consensus desideratur in matrimonio, quo in praesentem cohabitationem solenniter & publice consentiunt. Ita recte CALIXTVS cit. diss. de coniug. & diuort. §. 28. in f. censet, & consensus, ait, quando per promissionem futurae copulae manifestatur, sponsalia constituit. Reiicitur vero distinctio sponsalium de praesenti & futuro. Sponsalia enim sunt promissiones praesentes & actuales matrimonii futuri. Qualibus positum dicitur potest matrimonium ratum (vel potius speratum: nam ratum in sensu iuris canonici plus denotat.) Neque dubium est, quin id facilius & pluribus de causis dissolui queat, quam matrimonium consummatum.

§. VII. Pergit MOGGIVS (III) & nihil turpius esse, ait, quam stipulationem sub nominis diuini autoritate contractam deindividua vitae consuetudine, societate & cohabitatione colenda, ab homine mortali sine causa a Deo permessa dirimi. Hoc argumentum plus probat, quam debet. Ponamus, duos; iniuste societatem negotiatoriam, inuocato nomine diuino, & iureiurando confirmatam. Quid si postea inimicitiae inter socios coortae fuerint, & mutuo dissensu, ante diem huic societati dictum, resilire, & iusiurandi vinculum alter alteri remittere vellet, quis sanus negabit,

D 2

gabit,

Consensus
 factus est
 sponsalia

Tertiae rationis
 examen.

gabit, eos a societate recedere posse? Plura alia negotia inuocato nomine diuino, ineuntur, a quibus tamen recedere integrum est: imo sponsalia saepius inuocatione nominis diuini neglecta, conciliantur, adeoque ratio decidendi inde desumi nequit. Ceterum non asserimus, *absque causa* recedi posse a sponsalibus: *instam causam* coortis inimicitii capitalibus subesse credimus & profiteremur, & quidem eo magis, cum etiam apud Iudaeos ex eis diuortium erat licitum. Sed (IV) nec intactam relinquit regulam vulgatam: *consensum facere matrimonium non concubitum*, quae vera est, sed hic minus recte applicata. Consensus etiam facit *sponsalia*, non *idem consensus* tamen etiam constituit matrimonium: ad hoc nouo adhuc & *distincto* opus est consensu, quem *matrimoniale* vocamus, id quod tot diuersi effectus, quos distinctus hic consensus producit, demonstrant, ab excell. Dn. PRAES. in *diff. de diuers. sponsal. & matrim. iure ostens.* Inde (V) absurda eius sunt Brocardica, quae ultimo adfert loco, veluti: quod id, quod de matrimonio disponitur, locum habeat in nuptiis, & iura loquentia in uno, locum quoque habeant in altero, quales & plures alii flosculi enumerati & plenius examinati sunt in *prolegom. cit. diff.* quos sana ratio & ius commune reprobant, damnant, & repudiandos censet.

Genuinus
sensus c. 2. X.
de sponsal.

§. VIII. Quia vero animaduertit, grauius contra hanc sententiam pugnare c. 2. X. de sponsal. illud in *seqq.* methodo scholastica resoluit. Primo ipsum textum non adeo genuinum esse docet. Id quidem negari nequit, INNOCENTIO III. eum adscribi non posse, sed potius deberi ALEXANDRO III. Hac de causa etiam ALTESERRA, qui in *decretales INNOCENTII III.* commentatus est, hunc textum omisit, & primum ex c. 22. X. de sponsal. producit. *Concilio Lateranensi III. anno 1179.* celebrato adiectae sunt variae decretales, inter quas quoque hic textus c. 43. apud HARDVINUM tom. VI. concil. P. 2. reperitur, & ALEXANDRO III. tribuitur, simulque verba finalia eius adducuntur, quae MOGGIO suspecta videntur. Idem textus reperitur in

in collectione prima, concilio Lateranensi subiecta, apud HARDVIN. *cit. l. p. 174. c. 33.* vbi verba vltima omiffa sunt, quae dissolutionem sponsaliorum concedunt. Sed nec priora, quae *cit. l.* adducuntur, dissolutioni resistunt, adeoque si vel maxime vltima non essent genuina, nihil aliud tamen euincunt priora, quam *exhortandos* esse desponsatos, vt fidem datam seruent, quae tamen verba *necessitatem* nullam nec *absolutam obligationem* inferunt. Suadent, non necessitant. In eo vero palmariam suae causae rationem collocat, quod totum hoc capitulum ex omnium interpretum sententia loquatur de sponsalibus *de futuro*. Nec hoc ego nego, sed id tantum obseruo, illa ipsa sponsalia, quae hic adferuntur, non alia esse, quam quae protestantes peruersa significatione vocant *de praesenti*. Breuiter: agit textus de iis, qui *pure & sine omni conditione de matrimonio contrahendo* sibi fidem dederunt. Haec sponsalia nostrates cum MOGGIO vocant *de praesenti*, pontificii *de futuro*. Nunquam sponsalia inimus *de matrimonio contracto*, id quod est *συνεθέξωλον*, sed *de matrimonio contrahendo*, adeo vt puniamus desponsatos, si ante matrimonium contractum concubuerint. Ita philosophatur Autor in schola protestantium existens ex principiis canonici iuris, quae tamen peruertit, & nouis suis definitionibus applicare studet. Linguamus tandem has naenias, & rem exprimamus verbis apertis, quae hic sine sophismate in alium detorqueri nequeunt sensum. Inebriati principiis iuris canonici, quae tamen non intelligunt, nec satis perpendunt, omnia turbant, & sanam tandem eiuurare rationem coguntur. MOGGIUS sponsalia *de praesenti* temper in ore habet, nec tamen inter protestantes iis aliam definitionem affingere potest, quam quae habetur in *c. 2. cit.* Negat hunc textum applicari posse ad *sponsalia de praesenti*, quod admitto in sensu iuris canonici, nego in sensu illo, quem protestantes, mira rerum metamorphosi, receperunt, vel potius corruperunt. Reliqua, quae adfert, ad illustrationem huius textus magis sunt com-

commenta, quam commentaria eiusdem, vt pigeat, tot verba pro retundendis his scopulis inanibus adduxisse.

Generale
fundamen-
tum pro di-
iudicandis
probatis re-
pudii causis.

§. IX. Pergo jam ad genuinas & probatas repudii causas alias, quae vt dixi magnopere ex *discreti iudicis arbitrio* dependent. Generaliter hanc *BROWNERS cit. l. n. g.* adfert regulam: *tum esse repudio locum, quoties post constituta sponsalia eiusmodi obuenerit incommodum, quod repudiantem, si praescisset, a spondentis nuptiis sine dubio deterruisset.* Omnis enim promissio habet in se conditionem tacitam: *rebus sic stantibus*, quam nec sponsalia repudiant. *c. 25. X. de iurei.* Quod si ergo tam notabilis rerum mutatio superuenerit, quam si alter desponsatorum praeuidere potuisset, nunquam *rationabiliter* sponsalia contraxisset, iusta erit repudii causa. Et quidem hoc eo magis admittendum censeo, quo grauius praecudicium ex *matrimonio subsequente* alteri adfertur, quod *indissolubile* est, cum in sponsalibus res integra sit, & hoc graue malum & infortunium praecaueri possit. Cessante ergo hac conditione *tacita*, cessare vinculum sponsalium dicendum est.

Iusta repudii
causa est per-
fidia alteru-
trius.

§. X. Ex hac regula pontifex in *cit. c. 25.* hanc format conclusionem, quae in varios particulares casus se diffundit: *in sponsalibus talis subintelligenda est conditio, si videlicet sponsa in legem coniugii non peccet, vel vt paulo post dicitur: si illa contra regulam desponsationis non venerit, quia alioquin deficit illa conditio, sub qua sponsalia sunt contracta, & status rerum, qui tempore sponsaliorum fuit, admodum mutatur.* Sic itaque (1) iusta est repudii causa, si sponsa, quae forsitan cum veterano quodam sponsalibus, iuueni cuidam matrimonium futurum promittit, & ita captat mortem sui sponsi, fidemque illi datam frangit. Quid enim foedius & turpius est, quam in sponsi sui mortem pacisci, & eius amorem ludibrio habere? Ita *DN. PRAESSES* in causa quadam anno 1714. ad ipsum transmissa, statuendum esse censuit, & eam his roborauit fundamentis: *Es hat Herr Titius mit der Jungfer Caia, so von 17. bis 18. Jahren* iff,

ist, in Heyraths Tractaten sich eingelassen, auch er ihr und sie ihm die gewöhnliche arrhas gegeben / darauf ihre Eltern ein concept der Ehestiftung ihm zugeschicket / woraus Titius so fort abnehmen möge / daß man mehr auf sein Geld als Person, weil er schon von 63. bis 64. Jahren ist, gesehen. Dahero er solches concept ihnen unvollzogen remittiret. Mittler Zeit aber erhält derselbe unvermuthet einige Brieffe, daraus zu erschen, daß Caia mit jungen Leuten vertraul. conuersiret, und an dieselbe nicht allein Liebes-Brieffe geschrieben, sondern auch einen von ihren Liebhabern, Lucio, auf des Titii Todt verträstet, daher Titius eine völlige auersion vor ihr bekommen, und sich resoluiret, sich mit ihr nicht trauen zu lassen. Weil aber ihr Vater eine förmliche Eheklage übergeben, so wird gefragt

Ob Titius nicht gnugsame Ursach habe gestalten Sachen zurück zu treten

Ob nun wohl diesem entgegen zu stehen scheint, daß Titius sich mit der Caia ordentlich verlobet und zu dessen Verstärkung ihr gewöhnlichen arrhas gegeben, und von ihr dergleichen angenommen, wie denn auch ihre Eltern darein consentiret, also an dem vinculo sponsalium gar kein Mangel anzutreffen / und Titius dahero nach den bekanten Rechten gehalten seyn möchte / durch priesterliche copulation die Ehe zu vollziehen, oder in Verleibung dessen durch die Obrigkeit darzu compelliret oder angehalten werden könne

NICOLAI de repud. sect. I. c. 1. n. 59. CARPZ. lib. 2. iurispr. consst. def. 132. BRVCKNER in decis. matrim. c. 1. n. 7.

Licet enim ad sponsalia incunda nemo cogi debeat, tamen ad semel contracta consummanda cogi potest

BROWER de iur. connub. l. 1. c. 24. §. 22.

und ob wohl Titius aus denen beygefügten Liebes-Brieffen etliche auersion gegen Caiam bekommen, zumahl aus denen beyden letzten Brieffen abzunehmen, daß Caia in Corthago dem daselbst sich aufhaltenden Lucio ihr Eheverlöbniß notificiret, und ihr auf des Titii bald erfolgenden Todt verträstet / gleichwohl dieses darben zu erwegen, daß beyde Brieffe von Lucio geschrieben seyn sollen,

sollen, welcher sich auf Caias Schreiben beziehet, so doch nicht da ist, dabey dann bekant, quod referens non probet, nisi constet de relato

auth. si quis in aliquo C. do edend.

wie denn auch sonstern ausgemachtens Rechtsens ist / quod epistola contra tertium fidem haud faciat

L. 7. C. de probat. l. 52. pr. d. pact.

MENOCHE de arbitr. iud. quaest. lib. 2. c. 94. n. 22.

NICOLAI DE PASSER. de scrip. priu. tr. 3. pr. n. 157. &c.

Die weil aber dennoch nicht geleugnet werden mag, daß aus denen angeführten Liebes-Brieffen eine wichtige causa a sponsalibus rescindi erwachset / zuzörderst aber hierbey untersucht werden muß, ob und wie weit solche zum Beweis hinlänglich sind, &c. &c. &c. Hiernächst es nunmehr auf die Frage ankommt / ob dieselbe ad rescindenda sponsalia hinlänglich sind, da dem zwar nicht zu läugnen, daß aus denen ersten 4. Brieffen keine iusta causa rescindi sponsalia herzunehmen ist, anerwogen sie diese correspondance vor der Verlöbniß gepflogen, daraus auch nicht erhellet, daß sie ungebührlich mit dem Lucio gelebet, hergegen die beyden letztern Brieffe anzeigen, daß die Jungfer Caia post sponsalia iam contracta eine solche correspondance mit dem Lucio führet, welche sie der größesten Untreu überführet, anerwogen sie darin die sponsalia, so sie mit dem Herrn Titio geschlossen / aus der Ursache notificiret, weil sie mit demselben schon sich vorher verlobet, wie die deutlichen Worte des Brieffes anzeigen:

Denn einmahl weiß sie, wie wir stehen, und daß ihre Frau Mama auch noch bey unserer letzten Zusammenkunft in Barcelona mit einander verabredet, daß uns weder Welt noch Teuffel trennen kan, wo sie anders nicht ihre Ehre in Gefahr setzen wollen &c.

Also ihn zur Geduld anmahnen wollen, zumahl sie verhoffete, daß sie ihres neuen liebsten durch den Tod wegen seines Alters bald befreyet seyn würde, sie inzwischen ein gutes Vermögen von ihm zu erben hoffete, laut gedachten Brieffes eigene Worte:

es ist

es ist zwar wohl wahr, um einen so fetten noch 1. a. 2. Jahr warten zu können, und die Frau Mama meynete, daß der alte Galan so sehr hitzig sich bezeugete, daß ers kein Jahr würde ausdauern können; Allein man kan nicht wissen, wie das Ding gehet, und setzet mich fast in Verzweiffelung.

ferner:

Zwarten seynd ihre Vorschläge all considerable, da ihr neuer Galan ziemlich alt, und an die 70. Jahr, sich auch offeriret ihr gleich 4000. Thaler zu zuheyrathen, und wenn Erben folgen solten, sie sein übriges/ so sie glaubete über 20000. Thaler werth, darzu zu haben, in specie hoffete sie auch, das Haus noch darzu zu bekommen.

Woraus denn kläglich erhellet, daß gedachter Jungfer Caiæ ihr erster Galan auf den Tod ihres bereits versprochenen Bräutigams verträuflet, und von demselben bald erlöset zu werden verhoffet, welches eine keiner verlobten Braut anständige Sache, vielmehr eine offenbare Untreu ist; und also der Herr Titius an die sponsalia denen Rechten nach nicht verbunden ist, subest enim in omni desponsatione tacita conditio, si illa in legem connubii non peccauerit, nec contra regulam desponsationis venerit, quo facto etiam iurata sponsalia dissoluntur. c. 25. X. de iurei. B. STRYK de dissens. sponsal. sect. 2. §. 27. p. 70. inf. Neque tantum illa fidem sponsaliciam frangit, quae stuprum patitur, sed etiam quae fidem alteri in casum mortis sponsi dat. arg. c. f. X. de eo qui dux in matrim. quam poll. adult. da es auch hier billig heißen muß, quod turpius eiiciatur quam non admittatur hospes, wie in simili casu der pontifex raisonniret in c. 25. X. de iureiur. So erhellet hieraus &c.

§. XI. Simili ratione quoque (II) in *legem datae fidei* peccat, qui relicta priori sponsa, cum qua valida iniit sponsalia, cum alia eadē contrahit. Quamuis enim sponsalia posteriora sint nulla, & sponsus ad instantiam sponsae primae cogi queat, vt ad eam reuertatur, & sic in nexu maneat; haec tamen vinculo prorsus liberata est, vt si ad consummationem age-

Vel qui noua cum alia sponsalia iniuit.

E

re

re nolit. ob fidem a perfido fractam, nihilominus satisfacionem suam ab eo petere possit. SANCHEZ *de matrim. lib. I. disp. 49. n. 2.* Inde in *ordin. Saxon. elect. punct. von Ehege- löbniß* dicitur: Würde sich aber die Person, so sich mehr denn einent verbündlich verlobet, mit der letzten Person fleischlich einlassen, so soll der ersten verlobten unschuldigen Person nichts desto minder frey stehen, ob sie sich mit dem Verbrecher versöhnen will. Hoc casu ubi ad posteriora concubitus accessit, maior ratio est pro repudio, quia magis eo ipso in legem desponsationis peccat. Limitant hoc ipsum ecclesiae Romanae doctores, nisi cum prima sponsalia de praesenti contraxerit, quae absolute consummanda sunt, c. 31. X. de sponsal. c. 3. X. de spons. duor. adeoque laetae nequidem integrum, ob fidem fractam a sponsalibus recedere. Equidem protestantes contrarium statuunt, si posterioribus sponsalibus accesserit concubitus, cum etiam matrimonium ob adulterium dissolui queat. KITZEL in *synops. matrim. c. 8. theor. II. lit. e.* BEYST. *de matrim. P. 11 c. 15. m. f.* Ceterum si adhuc res sit integra, maior illis oritur difficultas, qui sponsalia publica & pura dicunt de praesenti, & haec secundum regulas iuris canonici aestimanda esse censent. Si iuxta quorundam errorem sunt ipsum matrimonium, innocentem vix integrum erit, perfido nuncium mittere. Cum vero ab hac hypothese prorsus alienus sim, innocentem sponsam cogendam haud esse arbitror, vt; si gratiam foedifragio facere nolit, ad eum reuertatur. Conf. CARPZOV. *lib. 2. iuris pr. consist. def. 65. n. 63.*

Well obi stü-
prum alteru-
agus.

§. XII. Multo magis ergo (III) repudiari potest sponsa, si post contracta sponsalia stuprum passa est, adeo vt nequidem sponsalia iuramento firmata hoc casu innocentem stringant, cum etiam iuramento illa infic conditio: si contra regulam desponsationis non venerit, vt ait pontifex in c. 25. X. de iureiur. Perspicuis tamen argumentis hoc probandum esse volunt, vt solis suspicionibus standum haud sit, quae vanae esse & ex calumnia oriri possunt, cum notum sit, post contracta sponsalia nunquam calumniatores deficere.

CYPRAE

CYPRÆVS de *connub. iur. lib. 1. c. 13. §. 50. seq.* NICOLAI de *diuor. & repud. P. 1. c. 2. n. 49.* Ceterum quia huiusmodi delicta clanculum committuntur, & difficillimae probationis sunt, vrgentissimae coniecturae etiam quandoque sufficere possunt, quae graui suspicione sponsam laborare faciunt, ob quam sponsus maximum odium contra eam concepit, vt omnis spes reconciliationis praecclusa sit; haec enim, quia suspecta conuersatione sua cum aliis, qua merito abstinerere debebat, ansam odio dedit, illa, quae supra §. IV. dicta sunt, locum hic habebunt. Quod si vterque desponsatorum in pari reatu est, repudio non potest esse locus. Hoc contingit, (I) si vterque desponsatorum eodem se maculauerit luto. Notum est, mutua delicta compensari; quoad interesse priuatum, nec in pari reatu haerentem contra alterum delinquentem agere posse. Afferit quidem SANCHEZ de *sacram. lib. 1. disp. 55. n. 9.* hic non vtroque aequale damnum adesse, & sic compensationem iniquam fore; multo grauius esse detrimentum a parte viri per fornicationem sponsae, quam huius per sponsi delictum; multo turpiorem esse seortationem sponsae quam sponsi, cum in hac leges maiorem desiderent castitatem. Colorem haec habent, quae adfert SANCHEZ, nec probabilitatis destituntur specie. Non tamen a priori sententia decedo. Vterque peccat in legem desponsationis; vterque frangit fidem, & in hoc paria sunt omnino delicta, non disparia, non inaequalia. Licet vero detrimentum maius sponso ex hac perfidia obuenerit dicatur, id tamen sua culpa sentit, qui legem desponsationis sanctius colere debuisset, si maiorem castitatem a sua sponsa exegisset: imo tanto grauius puniendus dicatur, quanto magis ad eum perinet & virtute vincere & exemplo regere foeminas, vt ratiocinatur AVGVSTINVS in *c. 6. C. 32. q. 6.* Addit in *c. seq.* Tu autem exigis hoc ab uxore vel sponsa, & non vis reddere uxori vel sponsae, & cum debeas in virtute praecedere uxorem vel sponsam, quoniam castitas virtus est, tu sub vno impetu libidinis cadis? Et vis uxorem vel sponsam victricem esse, tu victus iaces. & c. (II) Si

quid si vterque in pari reatu sit.

sponfo volente sponsa stuprum passa est, quo ipso quidem ille genus quoddam lenocinii exercet, & merito puniendus; repudium tamen facere nequit, cum non delinquit in legem desponsationis, quae sponsi consensu a fide deficit, quo iuri suo renunciaffe censetur. BROUWERVS *cit. l. n. 16.* NICOLAI *de repud. & diu. P. 1. c. 2. 55.* CYPRAEVS *de iur. conub. cit. l. §. 43.* Recte vero animadvertunt SANCHEZ *c. l. n. 4.* PAVLVS CYPRAEVS *de iure conub. lib. 1. c. 13. §. 56.* B. STRYK *de diff. sponsal. sect. 2. §. 34. inf.* non esse constituendam differentiam, vtrum sponsa an sponsus in vinculum desponsationis delinquat. Loquitur quidem pontifex in *cit. c. 25. de iure iur.* de foemina, stupro se se maculante; sed tali ratione subiecta, quae etiam in sponsum, vinculum desponsationis frangentem, quadrat. Vulgatum est, *maio rem requiri castitatem in foeminis quam in masculis*, nec tantum vulgatum est, sed suo modo etiam iure Romano approbatum, vt vel doctrina de *adulterio* docet. Ast hanc regulam hic non satis tuto applicari posse opinor. Ratio decidendi hoc in casu quaerenda in *fide desponsationis fracta*, ob quam iustissime sponsa irascitur sponso, & iustam auerfae mentis causam concipit. Est praeterea fides reciproca, & aequae sponsus in eam delinquere potest quam sponsa; quae de causa *repudii* causam habet iustam, quae ex his sponso moribus de futura matrimonii sorte non adeo bonum capere potest augurium. Etiam de iure ciuili recentiori, quo quaedam iusta causa repudii desiderata fuit, probatum est repudium propter *turpem vel prodigam vel impudicam sponsi conuersationem* in *l. 5. C. de sponsal.* quod nec ius canonicum mutasse legitur. *Conf. c. 2. C. 32. q. 6.* Imo etiam hic locum habet vulgatum illud:

Turpius euicitur quam non admittitur hospes.

Consistorii Wittebergensis sententiam, qua repudium ad instantiam sponsae decretum, refert DEDEKENNVS *c. l. n. 33.* in qua ratio decidendi quaeritur in *adulterio & desertione*; quae tamen rem magis turbat, quam declarat. De antecedente fornicatione sponsae, quam pontifex in *c. 25. X. de iuro.*

iurei. a iustis sponsalia impugnandi causis sine vlla ratione excludit, non ero sollicitus, quoniam non tam iustam repudiij causam constituit, quam sponsalibus *nullitatem* conciliat ab initio, de qua hic non sum sollicitus

§. XIII. Aliunde quoque *notabilis rerum mutatio* contingere potest, quae sine *violatione datae fidei* repudio locum omnino relinquit, idque vel concurrente alterius *culpa*, vel solo disponente *infortunio*. Ad *casualem mutationem* refero, (I) si sponta *per vim* stuprum passa fuerit, vel rapta etiam, & hoc modo violenter compressa. Equidem supra *cap. 1. §. 9.* obseruavi, patres Africanos edixisse raptam puellam, *etiamsi esset vitata*, reddendam esse ei, cui desponsata fuit, quod quidem admitti potest, si sponsus hoc desiderauit, nec hoc sponsae infortunio a fide data resiliere intendit: sed si sponsus eam recipere nolit, aliud dicendum. Confirmatum id est in *c. 33. C. 27. qu. 2. Raptae, si eam sponsus recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentiam nubendi alii non negatur*. Similiter in *c. 3. ibid.* idem repetitum est, cum alioquin si ipsa in raptum consensisset, coelibatus ipsi imponeretur. In his textibus nequidem *violati stupri* fit mentio. An ergo *solus raptus* iussit, quem inuicta passa est, vt tamen non sit vitata? Quid enim si iuramento se purgauerit, se intactam nec contaminatam esse? Quandoque audiendum esse sponsum credo, si nulla ratione adduci potest, vt sponsam licet innocentem, recipiat. Equidem vtroque casu sponsa insons est, non deliquit, nec in *legem desponsationis* peccauit: magis casum, quem auertere nequit, passa, qui in eius odium detorqueri non debet, vid. *c. 1. C. 32. q. 5.* Nihilominus tamen hic casus ita comparatus est, vt notabilem rerum mutationem inducat, quam si quis praeuidere potuisset, nunquam sponsalia contraxisset, & ita deficit conditio: *rebus sic stantibus*. Nec afferendum est, talem mutationem deficere in *raptu*; quamuis enim reuera non sit contaminata, *libidinis causa* tamen rapta est, & communi hominum opinione quandoque pro contaminata habetur. Ita credunt,

Casualis rerum mutatio notabilis huc quoque pertinet.

vt stuprum violentum, vel raptus sponsae.

An solus raptus sufficiat?

dunt, ita sentiunt, ita ratiocinantur plerique, puellam raptori vix potuisse resistere: improbable esse, eam in contaminatam relictam, quae captiua detenta fuit, per aliquot temporis spatium a violento stupratore: licet se purgauerit, non tamen puellae, maculam hanc declinanti, facile fidem habendam esse &c. Hae similesue suspiciones sponsi animum facile mutare possunt, vt alienatae mentis esse incipiat, nec facile cogi queat, vt eam ducat, quam vitiatam esse suspicatur. Quod si tamen mox post raptum in ipso adhuc itinere deprehensus fuerit raptor, & rapta liberata, vt omnino constet, ipsam violari non potuisse; cessat haec suspicio & simul probata repudii causa.

Morbi superuenientes.

§. XIV. Praeterea (II) huc refero morbos superuenientes, vel incurabiles, vel ita comparatos, vt consuetudinem coniugalem vel impediunt, vel horrorem sano incutiant. Ait pontifex in c. 25. X. de iurei. *Quod si post huiusmodi iuramentum mulier fuerit non solum leprosa; sed etiam paralytica, vel oculos vel nasum amitteret, vel quicquam turpius ei eueniret, num quid vir teneretur eam ducere in uxorem? profecto ductam non posset dimittere. Sed num quid non ductam admittere teneretur? quamuis interdum contra-ctum non dirimat, quod impedit contrahendum.* De sponsalibus de futuro hoc esse intelligendum, nemo dubitabit, cum, sicuti morbus superueniens non dirimit matrimonium, ita nec probatam de iure canonico causam constituere queat repudii in sponsalibus de praesenti, quae dicuntur ipsum matrimonium. GONZALEZ ad c. 3. X. de coniug. leprosi. n. 8. *Aperte id docet pontifex in c. 3. cit. quia postulat, vtrum si post sponsalia de futuro inter legitimas personas contracta, antequam mulier a viro tradatur, alter eorum leprae morbum incurrat, alius ad consummandam copulam maritalem compelli debeat? respondemus, quod ad eam accipiendam cogi non debet, cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum.* Refertur etiam hic textus, inter capitula, quae concilio Lateranensi III. an. 1179. habito adiecta sunt apud HARDVINUM tom. VI. p. 2. concil. p. 1373.

dirimunt
sponsalia de
futuro de iure
canonico.

vbi tamen verba *de futuro* sunt omiffa, adeoque recte censentur interpretes, illa esse adiecta a RAYMVNDO compilatore. Hoc sine dubio ea factum est intentione, vt superaret difficultatem, quam alioquin doctrina de *sponsalibus de praesenti* hic facere posset. Quid ad haec protestantes? De praxi protestantium. Miror KITZELIVM in *synops. matrim. C. 8. theor. 12. lit. b. & c.* hanc causam admisisse, cum tamen sponsalia de *praesenti* matrimonium esse dicat, quod non dirimit superueniens morbus, vnde etiam fatetur, plerosque Canonistas dissentire, & cur non dissentirent, cum textu adducto inhaerere teneantur? Tam pessime cohaeret eorum doctrina, qui hanc distinctionem retinent, & ex iuris canonici conclusionibus eam aestimandam censent. In eadem est sententia CYPRAEVS p. 1. C. 13. de *iure connub. §. 65.* & aperte ait: *neque hic distinguendum arbitror, an sponsalia verbis praesentis an futuri temporis concepta sint*, quod etiam repetit NICOLAI de *repud. cit. l. n. 3.* existimans cum ZIEGLERO plerosque hunc textum, quem adduxi, trahere ad *sponsalia de praesenti*. Sed hoc erroneum esse iam ostendi, cum ideo RAYMVNDVS haec verba, *de futuro*, adiecerit, vt ostenderet, in sponsalibus de *praesenti* id minime locum inuenire prout etiam GONZALEZ censet. Sed nostrates ita explicant hunc textum ut suae causae inferuiant, & male cohaerentem doctrinam tegant. Scilicet sponsalia, siue *pura* siue sint *conditionata*, nondum ipsum matrimonium sunt, & sic ob tam notabilem mutationem omnino rescindi possunt.

§. XV. Ad specialia vt transeamus, indubium forsitan est a) *furorem* superuenientem repudio locum facere, siue etiam *dementiam* vel grauiorem *melancholiam*, quae ad proximum gradum furoris inclinat. Ait quidem ICTUS in *l. 8. D. de sponsal. furor quin sponsalibus impedimento sit, plus quam manifestum est; sed postea interueniens sponsalia non infirmat.* Id facile liquet, ICTUM haud negasse, furorem esse iustam repudii causam; id enim vel ideo negare non potuit, quia de iure Romano repudia erant permiffa,

& ex

& ex leuissimis causis concessa, cum etiam ipsum matrimonium per furorem superuenientem dissolui poterit. *l. 22. §. 7. solut. matrim.* Id videlicet tantum intendit ICtus, furorem non *ipso iure* irritare sponsalia, sed potius expectandum esse repudium sponsi vel sponsae, absque quo alias sponsus bina sponsalia hoc casu contraxisset, poena infamiae plectenda. Id liquet ex opposito, quod ICtus format. Ait, *sponsalia a furioso contracta esse ipso iure nulla*. Oppositum ergo est: *furor superueniens non annullat ipso iure sponsalia*. Quid ergo, si sponsus spem concipiat, fore, ut mox sponsa demens ad sanam mentem reuertatur? si non sit repudium mittere? sponsalia utique interim subsistunt, nec *ipso iure* irritantur. Nec hic distinguendum nosstrates necitent inter sponsalia *de praesenti & de futuro*, teste KITZELIO *cit. l.* & tamen matrimonium ob furorem superuenientem rescindi posse negant. Id facile largior, parum referre, utrum furor quandoque remittat, & interualla sua habeat nec ne? cum alter desponsatorum coniici non debeat in tam triste luctuosumque infortunium, ut coniugi, etiam per certa temporum interstitia furioso vel dementi, cohabitaret, cui nondum vinculo indissolubili est conglutinatus. NICOLAI *cit. l. n. 27.* BROVWER, *cit. l. n. 12.* Quid vero si spes sanitatis superstit? Monet NICOLAI *cit. l. n. 30.* iudicem non statim repudio locum facere, sed illud desideranti iniungere debere, ne intra certum spatium ad alia vota transeat, ut interim, quo resitueasura, animaduerti queat; desperata autem prorsus re, tandem repudium esse concedendum. Admodum duram esse hanc conditionem, quilibet facile animaduertet. Sit ita, spem sanitatis superesse. Nemo tamen euictionem praestare poterit repudium desideranti, ingratum hunc hospitem non reuersurum esse. Semel infectus est sanguis, & ita verendum, ne in liberos hic morbus propagetur. Quin contingere potest, ut spes affulgens sanitatis magis interuallum sit, non sanitatis recuperatio, cum *sub specie inumbratae quietis saepe furor latet*. ut dicitur in *l. 18. §. 1. de acquir. vel amitt. possess.*

Nec

Nec huc commode trahi potest *l. 17. de sponsal.* ubi Ictus ita: Saepe iustae ac necessariae causae non solum annum vel biennium, sed etiam triennium & quadriennium & ulterius trahunt sponsalia, veluti valetudo sponsi sponsaeve vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quae ex necessitate fiunt. Recenset Ictus causas, ob quas protrahi soleant sponsalia, & sic relative loquitur; non vero docet, repudium interim fieri non posse, & per modum decreti sponsae imponendum esse, ut interim subsistat, nec repudium mittat; quod abhorret a disciplina Romanorum, semper enim in legibus verba dispositiva a relictivis & enunciativis separari debent.

§. XVI. Morbos contagiosos quoque repudiorum iustam causam praebere, facile quilibet concedet, si ita comparati sunt, ut vel altera pars eo simul infici queat, vel restituta valetudine, recurrere & per amplexus coniugales reverti possint. *Morbum gallicum* huc referunt, cuius curatio plerumque lubrica est, semperque ex futura cohabitatione periculum iustusque timor imminet, qui terrorem alteri incurere potest, id quod exemplo illustri illustrat B. STRYK *de diss. sponsal. sect. 2. §. 44.* Externa corporis vitia, quae personam vel despectui exponunt publico, vel ineptum ad rem familiarem gerendam reddunt, sine dubio quoque huc pertinent, quod docet *cit. c. 25.* veluti si quis oculum vel natum amiserit, si claudus fiat &c. nulla inter protestantes habita distinctione, siue sponsalia sint *de praesenti* siue *de futuro*, ut asserit NICOLAI *l. n. 122.* quae tamen de iure canonico omnino hic facienda, imo etiam secundum doctrinam protestantium, si eorum traditioni insistentum foret. An idem dicendum si sponsae formosae facies ex variolis admodum deturpata sit, ut horrorem sponso incurere possit? Qui id affirmant, fundant se cum SANCHEZIO in *cit. c. 25.* & quod res in eo statu non permanserit, in quo fuit ab initio, quo sponsalia contracta. Aliis ut NICOLAI *de repud. P. 1. C. 2. n. 130.* placet sententia contraria, vel ideo, quod sit aequior, & deformitas haec sponsae obue-

De aliis morbis.

de facie deturpata ex variolis.

nerit, citra omnem suam culpam. Id vnice ergo in quaestione est, an hic tam *notabilis rerum mutatio* sit, vt sponsalium conditio subintellecta deficere videatur? Id omnino quandoque dicendum, si deformitas tam insignis & grauis sit, vt eius aspectum horreant homines; si facies in sponsa pro dote fuit, &c. vt recte obseruat B. STRYK *cit. l. §. 42.* Alioquin magis *praetextus*, quam *probata repudii causa* videtur, si deformitas non adeo magna sit, vt sicuti in aliis, ita hic quoque multum iudicis arbitrio relinquendum esse, recte asserat BROVVERVS *cit. l. n. 37.* Proinde non necesse est, omnia morborum genera euoluere & excutere, cum quae adducta sunt, tantum exempli causa adducta sint, & impossibile sit, leges de omnibus casibus specialibus scribere, qui vnice secundum regulam adductam prudenti iudicis arbitrio ponderari debent. Conf. DEDEKENVS *cit. l. n. 46.*

De iactura
honorum.

§. XVII. Casualis mutatio quoque γ) contingere potest, per *iacturam bonorum*, maxime si sponsus per incendium aliumque casum in extremam coniciatur egestatem, vt vix sibi necessaria vitae alimenta comparare, multo minus ergo vxorem alere possit. Hoc casu sane *notabilis* oritur *rerum mutatio*, nec sponsa potest cogi, vt se suamque fortunam in apertissimam coniciat aerumnam, quae non praevideri, adhuc tamen praecaveri potest. Quae nubit viro, id simul tacite intendit, vt ab eo tanquam capite familiae, & cui onera matrimonii incumbunt, alatur, qua spe per hanc superuenientem notabilem mutationem frustratur. SANCHEZ *de matrim. lib. 1. disp. 59. n. 6.* BROVVERVS *cit. l. n. 41.* Multum tamen etiam hic arbitrio iudicis committendum, vt videat an sponsus aliunde adhuc se sustentare, & se erigere queat nec ne? vtrum tantum quorundam? cuius sit conditionis? quod vitae genus colat? nam ex hoc multum vtique dependet Mercatorem commendant *diuitiae & fides*: illae hanc sustinent: vtraque amissa, omnis hominis perit fortuna, & quasi mortuus censetur, praesertim si bonis cedere, si ob debita cambialia, vel culpam admissam fuga salutem quaerere cogitur.

tur. BROUWER *cit. l. NICOLAI cit. l. n. 161* Si alio quodam
 vitae genere vitur, quo se suosque adhuc sustentare com-
 mode queat, veluti ob artificium, quo inclaruit; ob officium
 publicum, quod ad modum lucrosus est: minime eo ca-
 su repudium admittendum censeo, si vel maxime omnes eius
 fortunae incendio fuerint consumptae, quae facile restitui
 possunt. Quid si officio publico praefectus post sponsalia
 contracta a principe dimittatur non sua culpa, sed mutata
 principis voluntate, aduersum animum contra eum geren-
 tis? si quidem aliunde se vxoremque suam futuram sustentare
 nequeat, nec spes sit, cum cum principe rediturum in gratiam
 vel alibi officio admotum iri, pro arbitrio iudicis, circum-
 stantias accurato ponderantis iudicio, repudium conceden-
 dum, maxime si ex illis appareat, puellam huius officii in-
 tuitu vnice & primario inductam fuisse, vt fidem de futu-
 ris nuptiis ei daret, quam nunquam ei dedisset, si hanc mu-
 tationem praeuidere potuisset. De casu, qui circa *bona* si sponsa
sponsae contingit, magis dubitant interpretes, nec ratio di-
 uerlitatis deficit. Quamuis enim forsitan sponsus intuitu di-
 vitiarum & speratae dotis pinguioris sponsalia contraxe-
 rit, non tamen omnis eius fortuna interit, aut res prope
 desperatae sunt, maxime si ne quidem certam dotis quanti-
 tatem sibi dari stipulatus est, sed forsitan futuram heredi-
 tatem tantum captauit: tunc enim recte ei opponitur:
propositum in mente retentum nihil operatur. Si dos opima
 ipsi promissa; si res eius ita sunt comparatae, vt, amissa hac
 dote, matrimonium commode inire, & vitae suae institutum,
 quod copiam bonorum desiderat, persequi nequeat, repu-
 dio tunc quoque locum relinquendum esse censent. Pon-
 tificex in c. 3. *X. de condit. oppos.* proponit casum de eo qui
 promiserat mulieri, se eam accepturum in vxorem, si certam
 summam illi donauerit, vel, vt addit GONZALEZ, in do-
 tem dederit, atque, sponsum non obligari ex his sponsali-
 bus, si illa promissum implere recuset. Idem quoque di-
 cendum, si implere non possit, quia sufficit, quod conditio,
 sub qua promissio facta, non sit impleta, *nisi*, addit pontifex,
 F 2 *confen-*

de dimissis
 ab officio pu-
 blico.

si sponsa
 &uram bo-
 norum patri-
 bus.

consensus de praesenti aut carnalis inter eos commixtio sit subsecuta, quia utroque casu matrimonium iam censetur contractum. Primum casum ignorant ecclesiae nostrae, nec illum in puris sponsalibus hoc casu quaerunt; CARPZ. lib. 2. iurispr. consist. def. 22. n. 8. § 99. GERHARD in loco de coniug. 104. CYPRAEVS P. 1. de iur. connub. c. 13. §. 81. n. 3. Posterioriorem facilius admittimus, quia per concubitum quodammodo sponsalia degenerarunt in matrimonium, ad minimum quoad vinculi indissolubilitatem, & imputet sibi sponsus, quod praematuro cum sponsa sese commiscuerit.

De mutatio-
ne religionis.

§. XVIII. Progredior ad alterum huius thematis membrum, si facta & culpa sponsi vel sponsae insignis mutatio rerum superuenerit, unde iustior nascitur repudii causa, quod illud sua culpa promouit, eique causam dederit. Mutationem religionis huc primo loco referunt, circa quam duae emergunt quaestiones: 1) utrum is, qui mutauit religionem, repudium mittere alteri possit, qui religionem mutare, & se ad alterius captum componere recusat? 2) an alteri probata repudii causa inde nascatur, quod sponsus vel sponsa eam mutauerit? De priori exemplum solenne ex primo seculo adest in THECLA, de qua haec refert EPIPHANVS haes. 78. n. 16. p. 1048. editi Petau. Thecla cum in Paulum incidisset, pactas nuptias dissoluit, cum primario cuidam ciuitatis totius ac longe diuini, nobilissimo splendidissimoque de sponsa iam fuisset. Verum terrena ideo sancta illa contempsit, ut coelestrum compos esse posset. Totius THECLAE vitae seriem referunt BASNAGE in annal. ad ann 47. TILLEMONTIVS in histor. eccles. tom. II. P. 1. p. 107. quae tamen ita comparata est, ut traditiones hae ante seculum IV. non fuerint natae, adeoque admodum fluxae & incertae sint, ut BASNAGE & TILLEMONTIVS obseruant. Necin eo conueniunt, utrum ob mutatam religionem, an vero ob votum de virginitate seruanda, repudium sponso miserit; potius facilius admittunt canonistae. Quid ergo de priori casu dicendum? Equidem si sponsus ob mutatam sponsae religionem, a sua prorsus discrepantem, illam non deserit, si pro-

si promittit, se, ut tranquilla conscientia in noua religione permanere possit, facile passurum, nec villo modo eam inquieturum, ipsa sponsum deferere nequit. At si ut de THAMYRE, sponso THECLAE, traditur, religionis nouae odio ducitur, si sponfam quouis modo ab ea deducere intendit, si accusat ob mutatam religionem sponfam, repudium iustum esse poterit, praesertim cum eo casu grauissima dissidia inter coniuges metuenda sint. Nec distinguendum esse arbitror, vtrum veram an erroneam religionem amplexa sit, cum constat, neminem religionem mutaturum esse, nisi sub specie purioris doctrinae, qua inescatus est. Nouam credit esse veram, & eam, quam reliquit erroneam, falsam, damnabilem. Non dubito tamen, quin mutatae dominantem religionem, & ita repudium mittenti sponso, plures aliae calamitates sint superandae, quae ob notissimam rerum nostrarum conditionem euitari vix possunt. De altera quaestione Romanae ecclesiae doctores nullum mouent dubium, cum etiam is, qui tantum in haeresin incidit, *spiritualem fornicationem* committere dicatur, teste SANCHEZIO *lib. 1. de sacram. matrim. disp. 55. n. 3. conf. FRANCISCVS FLORENS P. II. oper. p. 119. seqq.* Quod si alteruter desponsatorum profus a fide desciscit, & ad ritus forsitan iudaicos transit, tunc ne quidem inter volentes matrimonium permittunt, sed repudium magis est necessarium. *l. 6. C. de iudaeis c. 15. seqq. C. 28. q. 1. CARPZOV. lib. 2. iurispr. consist. def. 6. n. 18. NICOLAI de repud. P. 1. c. 2. n. 69. BROUWERVS cit. l. n. 23.* Si in haeresin dilabitur h. e. si a dominante religione & publice probata recedit, distinguit CARPZOV. *cit. l. n. 20.* Vtrum sit pertinax haereticus necne? Priori casu nequidem permittendum esse matrimonium contendit: facilius posteriori ob spem conuersionis, adeoque illud repudium est *necessitatis*; hoc vero *voluntatis*. Ego hanc distinctionem approbare nequeo, qui non intelligo, quis sit *pernax haereticus*. Vtroque casu repudium esse *voluntatis* admitto, non *necessitatis*, quamuis magistratui haud adimam facultatem,

emigrationem mutanti religionem indicere. Quod si ergo sponsa cum sponso haeretico vertere solum parata est, illi hoc minime inuidendum esse credo, cum disparitas religionis non tollat coniugii essentiam. Quia vero ex hac non leues calamitates metuendae sunt, quae vix in coniugio praecaueri possunt; cum qui ad alios ritus se confert, facto suo ansam dat, vt sponsa eum repudiet, non potest conueniri de iniuria sibi facta, quin potius iuste repudietur. BROUWERVS cit. l. n. 28. NICOLAI cit. l. n. 70. KITZEL in *Synops. matrim. c. 8. th. 12. & 13.*

De affinitate
supervenien-
te.

§. XIX, Secundo loco huc referunt *affinitatem supervenientem cum sponsa illicitam*, quae impedit matrimonium contrahendum, licet contractum non dirimat, veluti si quis se cum sponsae matre, sorore vel filia commiscuit. Equidem non dubium est, quin sponsa hoc casu iustam resiliendi a sponsalibus causam habeat, quia sponsus in legem desponsationis peccavit. Quid vero si gratiam eidem facere velit? nihilominus tamen dissolventa sunt sponsalia, vt repudium hoc casu magis necessitatis sit. Constat enim, quod affinitas quoad *impedimentum matrimonii* tam perlicitum, quam *illicitum* contrahatur *concupitum*. LAUTERBACH de iur. affin. c. 5. §. 18. Pontificii distinguunt inter sponsalia *de futuro* & *de praesenti*. Illa omnino impedienda esse aiunt, ob c. 2. X. de consangu. & affin. c. 8. & 9. de eo qui cognou. consangu. vx. modo concubitus fuit naturalis & consummatus. c. n. C. 35. qu. 2. & 3. Haec vero non tolluntur per subsequentem affinitatem, quod etiam tunc locum habet, si prius sponsam carnaliter cognouit, deinde eius consanguineam in gradu prohibito, quia per primum concubitus matrimonium iam est contractum. c. f. X. de eo qui cogn. consangu. Etiam in foris protestantium a posteriori casu non recedimus, qui per subsequentem commixtionem & praematurum concubitus matrimonium ipsum, saltem quoad vinculi indissolubilitatem, contrahi fatemur; sed re adhuc integra non amplius permittendae sunt nuptiae.

ptiae, quatenus dispensatio principis locum habere nequit.

CYPRAEVS *de iure connub. c. 13. §. 81. n. 1.*

§. XX. Alia quoque *tertio loco* huc referenda sunt crimina post contracta sponsalia perpetrata paulo atrociora, ex quibus famae vel grauioris mali imminet iactura. Quid enim si ob illa perpetuis mancipetur carceribus? Si fustigatio cum perpetua relegatione ipsi dictetur? imo si tantum relegatio ei immineat? vel macula infamiae iuris? *Non cogenda est*, ait BROUWERVS *cit. l. n. 38. puella infamianubere, quae sibi integrae famae sponsum despondit, cum bonum nomen vitae comparandum, & ciuilis vita aestimandum sit, quod viro honesto magis in pretio habetur, quam ipsa, quam viuimus, vita.* Distinguit tamen CARPZOV. *lib. 2. iurispr. consist. def. 178.* inter crimina atrociora & leuiora, quae *extraordinem* coercentur, veluti si furtum commiserit, ob quod saltim carceris vel relegationis poena sponso dictatur. Hoc casu probatam repudii causam esse negat, & vltterius *lib. 5. resp. 15.* defendit, quod iudex extraordinariam decernens poenam infamiam remisisse censeatur. At vero id maxime dubium, ne dicam erroneum est. Magistratui non est integrum infamiam ex delicto contractam remittere, nisi forsitan grauiorem dictauerit poenam. *l. 10. §. f. de poen. l. 13. §. pen. de his qui not. infam.* Coniugium quidem non dirimitur ob mariti crimen, *c. 2. X. de diuort.* sed ad hoc ad sponsalia non valet consequentia; quamuis CARPZOV. *cit. l. n. 11. & 12.* id omnino existimet, quem errorem saepius reiecit. Quid ergo, an sponsa sponsum relegatum sequi tenetur? nemo forsitan hoc dixerit, & tamen hunc casum CARPZOVIVS proponit. Quid si tantum poenam carceris subire cogatur? ipsum furtum ita comparatum est, vt sponsa iustum horrorem erga sponsum furem concipere possit. NICOLAI *cit. l. n. 143.* Quod si propter iniurias alteri illatas tantum poenam carceris vel pecuniariam subire cogatur, aliud dicendum arbitror. Quamuis enim iniuriarum

damna-

De criminibus commissis.

damnati infamia iuris afficiantur; ex moribus tamen communiter receptis fama integra seruari solet, quod *singulariter* magistratui concessum est, ne alias inhabilis reddatur ad vitam ciuilem & opificium, praesertim cum hic naeuus inter plebem sit fere quotidianus, vt eradicari nequeat.

De morum
corruptione

§. XXI. *Quartum* subeat locum mutatio notabilis morum, si post sponsalia sponsus vel sponsa adeo corruptis viuere moribus incipiat, vt spes emendationis nulla supersit. Saepe vno impetu homines mutantur ob consortium malorum, in quorum manus incidunt, & quia difficile est, corrigere alterius mores & e luto corruptum retrahere, quis cogeret sponsum vel sponsam, si haec notabilis mutatio per culpam alterius supervenerit. Quid enim si ex sobrio vinosus, si ex bonae frugis homine prodigus fiat, vt fere bonis ipsi interdicensum sit? Sed haec omnia discreti iudicis arbitrio erunt aestimanda, qui haec casu non adeo difficilis esse debet in dirimendis sponsalibus, cum appareat, sponsam ob mutatos mores sponsi prorsus alienatae mentis factam fuisse, vt cum eo cohabitare nolit, quem pessimae vitae esse deprehendit. Huius sententiae olim quoque CHRYSOSTOMVS fuisse videtur, qui *homil. 74. in Matth.* mutationum morum merito iacturae bonorum praefereendam esse, non incongrue iudicat, & quis uxorem, ait, ducturus, quibusnam sit moribus, & quomodo puella educata, inuestigat? nullus omnino; sed quantae pecuniae & possessiones & variarum rerum & bonorum copiam veluti aliquid emiturus foret, vel communem aliquem contractum peracturus. Quare & matrimonium synallagma dicunt: multos enim audiuimus dicentes: ille contraxit cum illa, i. e. coniugio copulati sunt. Addit post pauca: Discite, quomodo veteres patres uxores ducebant & imitamini. Quo pacto ergo ducebant? Ingenium, mores animi, virtutem quaerebant, ac ideo stipulationibus & longa instrumentorum serie non indigebant: sufficiebant enim loco illorum omnium mores sponsae

Sponsae. Quamvis vero ex CHRYSOSTOMI sententia per *abusum* haec negligantur quae circa *mores* obseruanda erant; non tamen ea propter desinunt constituere iustam repudii causam, si quis huius qualitatis primario rationem habere voluit.

S. XXII. Quintum subeat locum *diuturnior sponsae ab-* De absentia
sentia, ob quam vota sua eludi intendit sponsus. De iure civili, diuturniori
quo repudia erant laxiora quam hodie, statutum est praesenti bi-
ennium, quo elapso, sponsa libere *citra infamiae poenam* ad alia
vota properare potest. *h. 2. C. de spons.* Absentem vero deserere potest
post triennium, *h. 2. C. de sponsal.* ne quidem repudio misso, vt
obseruat BROWERS *cit. l. n. 45.* Pontifex in *c. 5. X. de sponsal.*
suo modo hanc causam approbat, & *de illis autem, ait, qui prae-*
sitio iuramento promittunt, se aliquas mulieres ducturas, &
postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias
transferentes: hoc tibi volumus innotescere, quod liberum e-
rit mulieribus ipsis (si non amplius in facto est processum) ad alia
se vota transferre. Generatim pontifex approbat doctrinam iu-
ris civilis, vt propter diuturniorem absentiam repudio locus esse
possit; sed in duobus ab eo recedere videtur (1) vt non praecise tem-
pus iure civili constitutum obseruandum esse, sed hoc ar-
bitrio iudicis relinquendum esse censeat: (2) vt non *ipso iure*, vt
olim de iure civili, dirimantur sponsalia, sed praecio repudio, &
sententia iudiciali. Hac de causa in *c. 22. X. de sponsal.* punien-
dum esse ait pontifex, qui quatuor vel quinque annis elapsis, ad alia
vota transit, licet per priorem sponsam steterat, quo minus matri-
monialis solennitas inter eos secuta fuerat, quamvis etiam praeter-
ea iuramentum interuenerat, ob quod primario censura ecclesiasti-
ca eum coercendum esse pontifex censuit. ALTESERRA *ad cir.*
c. 22. in f. Inter protestantes secundum varias circumstantias hac
de re statuendum esse arbitror. Praesens sponsus vel sponsa si mo-
ras necdit, absque idonea causa, si nec iudicialiter ad instantiam alte-
rius monitus fidei datae satisfaciatur, magis spem matrimonii frustra-
re, quam fidem seruare, imo alterum deserere intendit. Quid er-
go

go impediret, quo minus tandem repudium decerni posset. Si
 abest sponsus, ante omnia in causam *absentiae* inquirendum, & ex
 ea de animo *deserendi* sponsam statuendum: nisi certum tempus
 finiendae obligationi dictum sit, quo elapso, sponsa a vinculo
 sponsalicio, etiam citra *repudium*, liberatur. Si ex circumstantiis ap-
 pareat, eum dolo malo, & malitiose sponsam deseruisse, processui et-
 iam desertionis hic locum faciunt *CAREP. lib. 3. iurispr. consst. def. 77.*
B. STRYK de diss. sponsal. sect. 6. §. 51. vnde fere pleraque, quae
 de *absentia* eiusque circumstantiis item de *edictali citatione* ibidem
 adducuntur, hic quoque suo modo applicari possunt, quae plenius *B.*
STRYK cit. diss. 6. cum pluribus aliis explicuit, & recte monuit, in
 foro deserentis agendum esse, quia sponsa nondum in forum spon-
 si transit, sed patris foro vivit.


Conclusio.

§. XXIII. Es his similibusque circumstantiis adductisque
 exemplis liquet, veras & probatas *repudii* causas fere unice in regu-
 la fundari, quod superveniente notabili rerum mutatione obliga-
 tio vim suam perdat, ex subintellecta conditione; *rebus sic stan-
 tibus*. Plures plerique adferant repudiorum causas, quae ex alio
 fonte fluunt; si vero penitus examinantur non sunt causae *repu-
 dii*; sed tales, quae ab initio *nullitatem* sponsalibus cohaesisse osten-
 dunt, vbi potius pronuntiandum *daß das zwischen Klägern und der
 Beklagtin getroffene Eheversöhnlich vor bündig nicht zu achten und
 zu recht nicht beständig sey.* In reliccione matrimonii idem sedu-
 lo observandum esse movent interpretes, in qua causae *divortii* a
nullitatis omnino separandae sint, adeoque mihi vitio verti non
 potest, si his contentus ab alienis abstinendum esse arbitratus
 sum. Sunt enim merito, quae ad *repudium* non
 spectant, repudianda.

FINIS.







Halle, Diss., 1718 Bic-ge

ULB Halle

3

005 360 714



TA/OC





DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE


PROBATIS
REPVDIORVM
CAVSIS

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
INDVLTV
INCLYTI IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

PRAESIDE
DOMINO
STO HENNINGIO BÖHMERO,
ICTO.
PALAT. CAES. POTENTISS. REGI BORVSS. A CON-
SIL. AVL. PROFESS. IVRIS ORDIN. ET p. t.
DECANO,

PRO LICENTIA
MMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC
PRIVILEGIA CAPESSENDI
IN AVDITORIO MAIORI
HORIS LOCOQVE CONSVETIS
DIE III. OCT. ANNO MDCCXVIII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
COBVS HENRICVS PISTORIVS,
STVTGARDIA-WVRTEMBERG.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS IOHANNIS GRVNERI, Acad. Typogr.



1718 100

4

sol
rim
n ef
erect
tibit
uni
ben
re p
ri p
bet
e v
sh
dm
ber
tu
ri p
vibi
A
xc
im
pri
on
om
ffe
ua
vi

